



copycat. 2 ff. 4 gl.

Samuelhof

4

1)  
2)  
3)  
4)  
5)  
6)  
7)  
8)  
9)  
10)  
11)  
12)  
13)  
14)  
15)  
16)  
17)  
18)  
19)  
20)  
21)  
22)  
23)  
24)  
25)

*DE*  
**לְחוֹתָה הַבְּרִית**  
**ראשון**

*SEV*

**TABVLIS FOEDERIS  
PRIORIBVS**

PRAEMISSA COMMENTATIONE

*DE*  
**TABVLIS QVIBVS DAM**  
**VETERVM**

*PRAESIDE*

**IO. CHRISTOPHORO  
VVICHMANNSHAVSEN**

LINGVAE SANCTAE RELIQVARVM<sup>QVE</sup> ORIENTALIVM  
PROFESS. PVBL. FACVLTATIS SVAE SENIORE  
ET BIBLIOTH. ACAD. DIRECTORE

*SVSCEPTORE EX SACRO FONTE PIO CVLTV  
IVGITER PROSECVENDO*

*PVBLICE DISSERET*

*AVCTOR*

**M. IO. FRIDERICVS MICHAELIS**  
VITTEMBERG. SAXO

---

*XVI CALENDAS OCTOBRIS A. 1719.  
IN AVDITORIO MAIORI.*

---

*VITTEMBERGAE, Ex OFFICINA GERDESIANA.*

10. CHRISTOPHORO  
AVICHIANIS HANSENI  
PROTOS. P. A. 1567. ET SVAE SEVIORE  
ET DILECTIONE. T. C. 1560. ADP.  
SACRA. 1560. ET 1560. ADP.  
21. M. 10. CHRISTOPHORO  
AVICHIANIS HANSENI  
PROTOS. P. A. 1567. ET SVAE SEVIORE  
ET DILECTIONE. T. C. 1560. ADP.  
TABVLIS EONDERRIS  
PRIORIBVS  
PRAEMISSA COMITATIENS  
KASCHIA  
VATRAN

## PROOEMIVM.

**L**aborem aliquem, DEO annuente, de T A BVLIS TESTAMENTI, seu, FOEDERIS, suscepturni, nulli nobis arrogamus, nos omnium primos, hac in scena, versari, quum jam pridem, viri, in literatura, & antiquitate, orientali adprime versati, hac in re, aliqua opera sint defuncti. Tres autem, ex iisdem, potissimum, se nobis obtulerunt, quorum ut expressam, hic, mentionem faciamus, necessarium esse videtur. Primus, & antiquissimus, est ipse PHILo IVDAEVs, qui peculiares libros, *de Vita Mosis*, & *Decalogo*, conscripsit, ac, praeterea, *de numero praeceptorum*, in tractatu: *De eo, quis rerum divinarum heres sit*, fuse, & erudite, exposuit, quae omnia, in Operibus ejus, junctim editis, reperiuntur. Hic itaque Philo, multa historiae Tabularum foederis capita tangit, sed pauca perficit, imo potius, methodo sua, quam constanter, in omnibus suis scriptis, sequitur, plura, quae ad doctrinam, maxime autem mores formandos, spectant, quam, quae ad antiquitatem referenda sunt, proponit. Hunc defecatum Io. BUXTORFIVS, filius, peculiari, atque prolixa, *Dissertatione, de DECALOGO*, conscripta, supplere studuit, quam tamen nobis, frustra eandem quaerentibus, hucusque, nondum inspicere licuit. Habemus, interim, ex HOTTINGERO (a), CARTVVRIGHTO (b), RIVETO (c), & IO. BENED. CARPOVIO (d), illam plurimis, de materia hac, memorabilibus resertam esse, de quo, si reliqua laudati Buxtorfii scripta conferantur, nullo modo dubitandum erit. Hottingerus sigillatim eam, in materia de *Distributione praeceptorum*, significatione vocis קבבָה, ad Decalogum applicatae, creatione, & materia, Tabularum, ac nomine

A 2

(a) *Theb. Philol. var. in locis.* (b) *Notis ad Exodum.* (c) *OO. tom. I. Praele&t. plenioribus in Exod. cap. XX.* (d) *Dissert. de quæst. S. quoniam Arca foederis pervenerit?*

nomine earundem, quo, scilicet, *Tabulae testimonii* dicuntur, commendat. *Cartwrightus* non saltem singularia quaedam de nomine *אָרוֹן*; sed etiam de intentione DEI, quare *Tabulas lapi-deas*, & non aliis materiae, condiderit, & posteriores Mosi fabricandas injunxerit, in eadem se reperisse, testatur. *Rivetus* illam, uti *Hottingerus*, in negotio de distributione praceptorum, laudat, annoque 1643. editam esse, docet. *Carpzovius*, tandem, hanc, quam eruditissimam judicat, *Dissertationem*, in quaestionebus: Vtrum arca foederis, atque tabulae, in eadem reconditae, una cum aliis vasis, in *Babelem* deportata; an vero *Hierosolymis*, vel alibi, in *Terra sancta*, abscondita fuerit? porro, an *Romae*, adhuc, genuina Arca foederis, auro denudata, assertetur? consulendam statuit. Ex his omnibus satis appareat, plurima de tabulis testamenti capita, jam dudum, a *Buxtorfio* occupata esse, quae, denuo, sub examen revocare, supervacaneum videri posset. Quamvis autem, primo intuitu, ita existimare quis poterat, non tamen nobis arduae desunt rationes, quae propositum nostrum, magis magisque, stabiliunt, atque confirmant. Si enim, vel maxime, *Buxtorfium juniores*, ob singularem, in literatura orientali, peritiam, magni aestimemus, fatendum tamen erit, ipsius Scripta, quae antiquitates in primis respiciunt, *Rabbinorum* praefertim placita proponere, & Lectori, ob horum testimonia, magno numero, applicationi praemissa, taedium propemodum aliquod creare, quod, vel ex *Exercitationibus* ejusdem, ad oculum patescit. Et, quanquam neque ad hoc attendere velimus, nihilominus tamen extitulo *Dissertationis*, *de Decalogo*, informamur, eandem generaliorem esse, & unicuique adeo, partes ipsius, peculiari opera, pertractandi, licentiam concedi, id quod & a multis, jam pridem, tentatum fuit. Accedit, & ex simili materia, argumentum, pro nostra sententia, urgendum, quod, licet idem *Buxtorfius*, eadem, quam exposuimus, methodo, *Historiam arcae foederis*, olim conscriperit, hoc tamen non obstante, supra laudatus *CARPZOVIVS*, dupli in *Dissertatione*,

de

de Arca foederis, & de Quaestione S. quonam arca foederis per-  
venerit? eandem materiam, erudite sit prosequutus. Tertius,  
de tabulis testamenti, Scriptor, quem hic adducere constituimus,  
est Io. ADAMVS OSIANDER, *Theologiae in Academia Tubin-  
geni P.P.* Hic in *Typo Legis Moralis*, ex occasione dicti Iaco-  
bæi, quod cap. V. legitur, exhibito, integrum Decalogum,  
Theologice magis, quam Philologicè, explicavit, ita tamen, ut  
de omnibus, fere, Tabularum foederis capitibus, copiose ad-  
modum, atque erudite, sit commentatus. Sed, neque hujus  
Viri labor animum nostrum turbat, aut a coepio proposito re-  
trahit, quandoquidem idem, quod de Dissertatione *Buxtorfi*  
monuimus, hic quoque locum invenit, nimirum hoc scriptum  
generalius objectum habere, cuius partem specialiorem nobis  
pertractare integrum erit. Deinde scopus celebris hujus Theo-  
logi, ut docuimus, non tam Philologica, quam Theologica,  
hujus argumenti fuit evolutio, unde nec ubique istiusmodi  
Auctores, quales, si thema hoc priori modo consideretur, o-  
mnino adducendi erant, ab ipso allegantur, neque etiam loca  
Talmudico - Rabbinica clare satis, ac sufficienter, exhibentur,  
& praeterea, quod in primis molem tractatus, praeter necessi-  
tatem, multum adauget, Scriptorum, qui citantur, verba, quo-  
rum sensus paucis comprehendendi potuisset, in tanta copia, appo-  
nuntur, ut in quibusdam thesibus, vix una, vel altera, linea,  
*Osiandrum* auctorem agnoscat. Accedit porro, multa de tabu-  
lis foederis hic frustra quaeri, inter quae referenda est senten-  
tia, a Fr. Fortunato Scaccho producta, ast satis timide ab eodem  
defensa, qua scilicet asleverat, quod Tabulae foederis, in quavis  
Regis inauguratione, ex Arca protractæ, Regique in manus da-  
tae, fuerint. Nos itaque, missis reliquis, de Tabulis testamenti,  
Scriptoribus, Summo Numine adjuvante, nervosam, perspicuum,  
atque, ut speramus, sufficientem, tam priorum, quam posteriorum,  
*Foederis tabularum*, dabimus historiam, quumque laudatus *Osiander*, thesi CLXI, veterum Tabularum, ex incidenti saltē, mentio-

nem fecerit, ulterioris praefaminis loco, Sectionem integrām,  
de Tabulis quibusdam veterum, adornabimus, totique operi Con-  
spectum, rerum expositarum, subjiciemus.

## SECTIO I.

## DE TABVLIS QVIBVSDAM VETERVM.

## §. I.

**D**um Tabularum vocem, paulo accuratius, considerare instituimus, commodam nanciscimur occasionem, singularia quaedam, a Criticis huc dum, in aliis vocabulis, notata, & in hoc ipso nomine observandi, de quo & derivatio, & convenientia, ejus cum reliquis linguis, clare testabuntur. Est autem *tabula*, judicio optimorum Criticorum, diminutivum a *taba*, nomine obsoleto, in cuius derivatione Auctores in varias sententias discedunt. Prima est CHRIST. BECMANNI (a), qua asserit, vocem *taba* ab Ebraeo נְבָא, quae notio *tbalatum*, *conclave*, ac *tabulatum*, significat, descendere, utut, ceteroquin idem ille eam, quam mox exponemus, sententiam, non prorsus rejiciat. Altera est IVL. CAES. SCALIGERI (b), qui existimat, hanc vocem a Graeca τύχω, quae idem est, ac τένω extendō, & Gr̄cam ab Ebraica תְּבָא, ejusdem significationis, deducendam esse, eo, quod tabulata in aedibus extendantur. Ultima, quam GER. IO. VOSSIVS (c) suam facit, quamque, prae reliquis, veritate se commendare pronunciat, *tabulam*, cum antiquo *taba*, a Chaldaico נְבָא derivat, quæ vox eadem, cum *tabula*, significatione gaudet. Quod si, itaque, ex his sententiis una arripienda esset, nullam, quam hanc ipsam *Vossii*, majori probabilitate niti, facile largimur, maxime quum in utraque voce, tam *Chaldaica*, נְבָא, quæ a נְבָא descendit, quam etiam *Latina*, eaēdem literae, eaēdem significatio occurrat.

(a) de Origin. Lat. Linguae p. 105. (b) de Gauſſis L. L. cap. 31. (c) Etymol. Linguae Lat. f. 50g.

currat. Notat autem tabula figuram oblongam, solidioris in primis materiae, cuius longitudo, plerumque, latitudinem superat, quamvis, communi usu, & ipsum quadratum, hoc nomine, insigniatur. Ut vero haec figura omni solidiori materiae applicari potest; ita certe ipsa vox, tantum non omnibus linguis est usitata. Ut, siccō pedē, thēma ipsum פָּרָה, & דְּפָאָן, praetereāmus, hoc vocabulum, quamvis in Ebraco idiomate non reperiatur, apud recentiores tamen Ebraeos, Talmudicos maxime, est receptum, ita, ut ipsi טַבֵּלָה idem sit, quod Tabula, & טַבְּלָרָה, quod tabellarius, cuius rei exempla BvXTORFIUS (d) allegat, ex quibus non pauca, in ipsa thematis nostri tractatione, inferius occurunt. Ad Graecos ubi nos conferimus, singularem convenientiam horum, cum recentioribus Ebraeis, observamus. Misso enim verbo τάξω, & τένω, apud eosdem ipsa notio τάξις legitur, quae, Suida teste, est ὄνομα παιδίας, seu nomen lusus, qui lusus etiam τάξιον, & τάξις, nominatur. Neque mirum, in τάξις contractionem aliquam vocis Latinae institui, quum &, quandoque, apud ipsos Latinos usu veniat, ut, compendii causa, tablas pro tabulas, & simil pro simul, usurpent, quemadmodum id GRONOVIVS, (e) non inerudit, adnotat. Porro a τάξις verbum τάξισην deducitur, quod lusum in tabula instituere significat, quorundam & vocabula τάξις, τάξιστάρχος, τάξιστάρχος, & τάξιστάρχος, quibus ille, qui tabulam lusoriam exhibet, insignitur, atque tandem τάξιόπη, nomen Deae aleatorum, sunt referenda. Praeter haec, apud eosdem etiam, τάξιλα, τάξιλάριος, τάξιλάριος, & τάξιλάριον, ex significatione, Latinis magis usitata, occurunt, de quibus, si plura desiderentur, CAR. DV FRESNE (f), & SVI-

CERVIS

(d) Lexico Talm. p. 850. & 851. (e) n. IV. literis ad Io. Rhodium, quae exhibentur a Ferrario, lib. I. c. 39. de re vestiaria, apud Graevium tom. VI. Antiqu. Rom. p. 089. (f) Glossar. ad Script. mediae & insimae Graecitatis, tom. I. p. 1519. 1520.

CERVUS (g), conferendi erunt. Ad reliquas, occidentales in primis, si progrediamur, Linguas, a matre sua non recedit *Italica*, in qua vox *tavola* occurrit; *Hispanica*, cui nomen *tabla* familiare est, ut & *Gallica*, in qua voces, *une table*, *tabellion*, *tablage*, reperiuntur. Nec *Germanica*, hac in re, peculiare quid habet, quam *Anglica*, aliaeque linguae, sequuntur. Suffragatur tandem *Bohemica*, quae vocem Latinam per *Tabule* exprimit, ut & *Polonica*, cujus vocabula sunt *Tablica*, & *Tabliczka*, de quibus plura exempla CRAPIVS (h) exhibet. Imo, quod mirandum, ipsa lingua *Hungarica*, cujus incunabula, alias, in *Ebraea* quaeruntur, hic a *Latina* non abludit, sed tabulae vocem per *tabla* reddit, atque, per compositionem, alia exinde vocabula format, quae apud FRANC. PARIZ PAPAI (i) videri possunt.

§. II. Quandoquidem autem, si secundum generaliorum tabularum significationem, omnes earundem species considerare vellemus, & nimis a scopo recedendum, & prolixius, quam par erat, negotium suscipiendum, esset, hic istas, quae non magni momenti esse videntur, removebimus. Primo, igitur, loco huc referendi sunt *clavi*, in vestibus Romanorum olim adhibiti, de quorum appellatione & figura, SALMASIUS (k), RUBENIUS (l), & FERRARIUS (m) inter se disceptant. *Salmasius* existimat, illos ita appellatos esse, a forma tabularum, tesserarum scilicet, aut calculorum, ideo, quia infimae *Latinitatis* Auctores, tabulas, orbiculos ligneos, quibus in tabula luditur, nominarunt. Utque porro evincat, tabulas vestium rotundas fuisse, ex *Anastasio* locum adducit, in quo refertur, Leonem III., in circuitu altaris B. PETRI, *Apostoli*, fecisse tetravela

(g) *Thesauro Eccles.* tom. II. p. 1228. & 1229. (h) *Thesauro Polon. Lat. & Graeco.* (i) *Diction. Hungarico*, Leutschov. 1708. editio.

(k) ad *Vopiscum*. (l) *de re vestiaria*, lib. I. c. 24. apud Graev. tom. VI. *Antiqu. Rom.* p. 1002. (m) in *Analectis de re vestiaria*, cap. 30. apud eund. p. 112.

vela rubea, holoserica alethina, habentia tabulas, seu orbiculos, de chrysoclavo, diversis historiis, depictos. Sed hoc fundatum, quo etiam MEVRSIUS (n) nititur, RUBENIUS destruit, quando, scilicet, multis exemplis probat, *Anastasium* particulam seu, pro particula et, saepius usurpare, quo loquendi modo, Scriptores illos in errorem inductos esse, opinatur. Ipsi us, autem, Rubenii sententia eo redit, clavos, ideo, tabulas dictos esse, quia tabulis longis, qua formam suam, fuerint simillimi. Neque, tamen, Rubenius, hoc in certamine, victoriam obtinuit, cum Oct. Ferrarius, integro capite, jamjam citato, *Salmasii* defensionem, non magis erudite, quam feliciter, suscepit. Nec minus, quam clavi, qui tabulae appellantur, a scopo nostro alienus est, *Tabulae lusus*, qui in *tabula, calculis, tesseraisque*, peragebatur. Hujus auctorem Cedrenus, Palamedem facit, quando dicit: ἐτός ἐστι Παλαμῆδης, ὁ καὶ τὴν τάνλαν ἐφευγὼν, πρὸς μετεωρισμὸν τὰς βεβατὰς καὶ τὴν ἐν αὐτῇ σύνθεσιν σὺν φίλοσοφῃ πολλῆς κατατηνόσας. Alii, e contrario, existimant, Palamedem, solummodo, *lusus tesserarum*, non, vero, totius Aleac, auctorem extitisse, quae sententiae in peculiari, de Ludo Latruncularum, tractatu (o) exhibentur. Erat enim, ut hodie apud nos, sic olim, apud veteres, duplex, praecipue, qui in tabula lusoria peragebatur, lusus, *calculorum*, quos & *latrunculos* vocabant, ac *tesserarum*, quem ναῦτ' ἐξοχὴν tabulae lusum, seu tabulam, nuncupabant. De ipso lusu, tabulae distributione, & calculorum dispositione, tanquam de rebus, a scopo, & instituto, nostro, alienis, nihil monebimus, maxime, quum id jamdudum, in tractatu excitato, ab Hoffmanno (p) praestitum sit. Et, eo magis quidem studiose, ab uberiori hujus, quod antiquitatem sapit, capit, investigatione, nobismet hic temperabimus, quod & *Canones Apostolici* (q), quos alii sunt secuti, & *Iustinianus*, (r)

B

Episco-

(n) Lexico Graeco-Barbaro. (o) Francofurti apud Jo. Hüttnерum, 1650. cap. 2. (p) Lexico univ. tom. IV. lit. T. f. 434. (q) can. 42.  
(r) Novella Justin. 123. Cap. 10.

*Episcopis, ac Presbyteris, hunc lusum interdixerint, atque adeo, pro admodum profano, eundem istum, ipso facto, declaraverint.* Ludo huic tabulae adjungi potest *Tabula, vel Mensa, rotunda, seu festum tabulae rotundae, a Rogerio Mortimero A. C. 1279. institutum, ab Eduardo I. A. C. 1281. solennius celebratum, & ab Eduardo III. domo peculiari, ad castrum Windeleshores, quae tabula rotunda vocaretur, exstructa, confirmatum.* Erat, autem, *tabula haec rotunda, ut brevibus rem complectamus, ludus equestris, inde ita dictus, quod milites, antequam in arenam descenderent, vel, postquam exercitiis defuncti essent, mensae orbiculari accumberent, ad jurgia, & lites, inter Nobiles, propter sedis praerogativam, cavendas.* Cum vero, saepius, cedes, & alia incommoda, inde orientur, a *CLEMENTE V. Pontif. Rom. totum hoc festum, quod Hoffmannus, & Auctores, ab ipso citati, fusius describunt, sublatum fuit.* His associamus *tabulam felicis materiae, quam Vestales, si aliquando ignis, quem per ναυογλάκια colebant, perpetuus, defecerat, Feso teste, terebra ferrea tamdiu terebrabant, usque dum exceptum ignem, in cavo aeneo, virgo in aedium ferret, cuius rei inventum, uti ex Hoffmanno constat, Homerus Mercurio adscribit.* Nullius etiam momenti sunt *tabulae tiliaceae, de quibus CAPITOLINVS (f) tradit, Pium, cum esset longus, & senex, atque incurvarentur, iisdem in pectore positis, fasciatum fuisse, ut rectus incedere posset.* Itiusmodi tabulae usum multifarium *Medici exponunt; siquidem eadem ista feminae, olim, ad celanda corporis vitia, utebantur, cuius loco, ad surrigendum, & exornandum, corpus, baculos, e balenae costa, ebeno, aut alia subtiliori materia, adparatos, hodienum adhibere solent.* Ad seminarum tabulas illam quoque referimus, cuius mentionem *OVIDIUS (t) facit, quando ita canit:*

*Vis tamen interea tenues arcessere ventos,  
Quos faciant nostra mota flabella manu?*

(f) in Pio cap. III. (t) lib. III. Amor. El. 2. v. 37-38.

Hujus

Hujus tabellae, quam Graeci πίπλον dixerunt, motitatione, sexus elegantior, in aestu, ventulum sibi faciebat, quod & nostro tempore, surrogata tantum tenuiori, corii, chartae, vel alias generis, materia, apud eundem, usu est receptum. Relicta, insuper, Architectonicis *tabula tetragona*, quae aedium fastigiis affigis solet, ut spirantem ventum indicet, ad *Monachorum tabulas*, quae, pariter, huc non quadrant, nos conferimus, apud quos Monasticae rei Scriptores tabulam occurrere tradunt, cujus percussione monachi excitantur, ad sacram Synaxin convocantur, utque preces pro fratre, in agone mortis constituto, fundant, admonentur. Sic, pariter, istiusmodi tabula pulsabatur, cum *Breve*, uti vocant, *defunctorum* advenisset, ad labores convenientium esset, siue facultas loquendi concederetur. Et ex his ritibus, adhucdum, in Ecclesia Romana, superest percussio ligneae tabulae, tribus, septimanæ, uti vocatur, majoris, diebus, quibus, ex superstitione quadam, campanarum usus cessat, usitata; de quibus omnibus Scriptores rari, atque egregii, ab Hoffmanno allegati, plura dabunt. Fundamentum talium tabularum, sine dubio, mos est primitiae Ecclesiae, ad sacra, per σύμβολον, homines convocandi, cuius originem Fannodustani quidam *Sacerdotes, Hier. Magio*, nimis fabulosam, aperuerunt, quasi, nimirum, Ecclesia hunc ritum, eam ob caussam, receperit, quod Noah, in arca, simili instrumento, ad convocanda bruta, usus fuerit. Melius ipse *Magius*, judicio HOFFMANNI (u), existimat, Graecos ideo, Etnicis imperantibus, simantri usum excoxitasse, ut, eo commodius, ab aereis tintinnabulis abstinere possent, quem simantri usum, etiam, in vestitis in quaedam loca campanis, constanter retinuerunt. Compendiosam simantri descriptionem si desideremus, his verbis, quae forsan ex MAGIO (x) desumta sunt, Hoffmannus eandem dabit: *Est Simantrum tabula lignea, latitudine digitorum plus minus quinque, crassitate sesqui digiti, longitudine fere pedum quatuordecim, e praeduro,*

B 2

E,

(u) l. c. fol. 184. voce, Simantrum. (x) Praef. de Campanis cap. 15.

*E*, quantum materia patitur, sonoro ligno compositum. Capita foramina habent nonnulla, pennae anserinae, calamove scriptorio, pervia; cuius in medio tenuis est funiculus. Itaque, qui populum ad templum convocaturus est, antelucanis horis, ante fores templi, vel edito loco, tabulam malleis duobus, itidem ligneis, pulsat, non sine aliqua ratione musica, atque ita in gyrum sensim vertitur, quare fit, ut gravior, cum non ingrata raucedine, sonus edatur. Tabula, vero, qua arctior est, quasi librae scapus, in sinistro pulsantis humero quiescit; Ac ne pulsando dilabatur, funiculo, mordicus apprebenso, retinetur; manibus enim non licet, tum quod, ea appreensa, sono non parum decedit, tum quia utraque manus mallo impeditur: ita enim ambabus manibus percutitur, ut nunc quaedam frequentamenta, nunc quasdam quasi pausas audias. Ultimo, tandem, loco non praetereunda est tabula, genus instrumenti musici, de osse fieri solita, quam Cantor, in Ecclesia, mana sua tenebat, uti res apud laudatum, aliquoties, Auctorem, perspicue, atque nervose, explicatur.

§. III. Nos, ut ad institutum, & rem, proprius accedamus, de ejusmodi tabulis, hoc in capite, potissimum agemus, quae, cum leges, pacta, foedera, aliaque publica, & privata, negotia exhiberent, singularem usum in re tam publica, quam privata, olim, habuerunt. Antequam, autem, ipsum opus aggrediamur, ante omnia expendendum erit, undenam factum, quod, antiquioribus temporibus, leges, acta publica, & omnia, quae scribi solebant, in tabulas conjecta fuerint. Caussam, autem, hujus rei partim in usu, ac consuetudine, partim, insuper, & potissimum quidem, in indigentia illorum temporum quaerendam esse, existimamus. Cum, enim, membranae nondum invaluissent, primo *folia arborum*, deinde *interior corticis tunica*, tandem *ipsae tabulæ*, vel *tabellæ dolatae*, ad scribendum adhibitae fuerunt. Hae ipsæ, vero, duplicitis generis erant, vel *schedæ*, vel *tabellæ ceratae*. *Schedæ* in privatis negotiis adhibebantur, & nudam tantum tabulam, nulla materia obductam, sisteant;

sistebant; tabellae, autem, ceratae literis exarandis, diariis confi-  
ciendis, suffragiis ferendis, aliisque negotiis, inserviebant. Ma-  
teria ipsa tabularum, communissime, buxus erat, cuius tamen  
in locum, ad perpetuitatem, & splendorem, rei, saepe aes, ebur,  
plumbum, & lapides, substituebantur. Praeter consuetudinem,  
& indigentiam, illorum temporum, si, in primis, Legum tabu-  
las spectemus, non male, etiam, fundamentum hujus rei, in imi-  
tatione quadam tabularum foederis, a summo Numine *Judaicis*  
concessarum, collocatur, cum & alias *Gentiles*, & ex cultu, &  
ex politia *Judaeorum*, multa ad usus suos transtulerint.

¶. IV. Pro ratione, vero, illatum rerum, quae tabulis in-  
scribebantur, tabulae quoque variae erant, quas omnes, gene-  
ralius in *publicas*, & *privatas*, dispescemus. Inter *publicas*, au-  
tem, cum se iterum nobis offerant & *tabellae*, & *tabulae*, con-  
gruum erit, ut de ipsis, primo loco, exponamus. Erat olim,  
modus geminus, secundum *BVDAEVVM* (y), suffragia, & senten-  
tias, ferendi, *voce*, nimirum, & *tabellis*, quibus *ANTONIVS*  
*AVGVSTINVS* (z) tertium addit, qui *manu*, aut *pedibus*, per-  
agebatur, quem, tamen, celebritate, duo priores post se relin-  
quunt. Tabellis ipsis antiquior, ut & magnificentior, ornati-  
orque, mos erat, voce suffragium, ac sententiam, dicendi, qui,  
*GRVCHIO* (a) judice, ad *annum Urbis* 65. perduravit, cui, de-  
inde, tabella, variis legibus tabellariali introducta, successit.  
Harum tabellarum scopus eo tendebat, ut quisque, liberius, sen-  
tentiam suam proferre posset, quare, etiam, *SALLVSTIVS*, ubi  
de constituenda *Republica* praecepta exhibit, tabellam istiusmo-  
di laudibus evexit, ut dicat, eam obtentui fore, quo magis li-  
bero animo populus facere audeat. Hinc *CICERO* (b) tabel-  
lam, *indicem*, &, alibi, *vindicem*, *tacitae libertatis* vocat, gra-  
tamque, ideo, populo esse, pronunciat, (c) quia frontes homi-

B 3 num

(y) *Annotat. in Pandect. fol. 341.* (z) *Libro de legibus, cap. 14. apud Graevium, Theb. Antiq. Rom. tom. 2. p. 116.* (a) *de Comit. Rom. Lib. I. cap. 4. apud eund. tom. I. p. 607.* (b) *Orat. contra Rullum.*  
(c) *Pro Flancio.*

num aperit, mentes tegit, eamque dat libertatem, ut, quod ve-  
lint, faciant: promittantque, quod rogentur; unde, etiam,  
*Gabinius* jam prohibuerat, ne quis tabellam inspiceret, ne roga-  
ret, ne appellaret, ut ita populo, ab omni parte, in creandis  
magistratibus, liberum judicium relinqueretur. Ulsus tabella-  
rum maximus, frequentissimusque, erat in *Comitis magistra-  
tuum, legum, & in judiciis.* Quod ad comitia magistratum at-  
tinet, exhibebatur tabella singulis omnium centuriarum, quae  
centuria, forte, ordinatae erant, primo tamen loco *centuria  
praerogativa*, ad suffragium, ex loco, tribunali illius, qui comi-  
tia habebat, propinquo, evocabatur, ipsique tabellae tradeban-  
tur, quam immediate *prima Equitum centuria* excipiebat, tan-  
dem, vero, omnes primae classis, ut & reliquarum, sequeban-  
tur. Numerus tabellarum, iis in comitiis, incertus erat, si quidem tot diribebantur tabellae, quot candidati se offerebant, un-  
de mox plures, mox pauciores, distribuebantur. Quemadmo-  
dum, autem, tot tabellae exhibebantur, quot candidati aderant;  
sic, etiam, unicuique tabellae unum tantum, certi cuiusdam  
candidati, nomen inscribatur. Neque, tamen, illud inte-  
grum, sed tantum prima ejus litera, apponebatur, qui mos, quan-  
doque, fraudibus ansam praebebat, quod haec *CICERONIS* (d)  
verba testantur: *Is, posteaquam intellexit, posse se, interversa  
aedilitate, a L. Pisone Consule, Praetorem renunciari, si modo  
eadem prima litera competitorem habuisset aliquem: aedilitatem  
duobus in locis, partim in area, partim in hortis suis, collocavit.*  
Ne, vero, frequentiores, maioresque, fraudes exercebentur, non  
consuetum erat, tabellas domo afferre, sed ab initio pontium,  
per quos centuriae in septum, seu ovile, quorum duo in cam-  
po Martio erant, procedebant, illae a *diribitoribus* unicuique  
exhibebantur. His inserviebant *Cistae*, quibus tabellae in cam-  
pum deferebantur, quod ex loco ad *Herennium* (e) patet, ubi  
refertur, *Q. Cepionem*, cum *L. Saturninus* legem frumentariam

de

(d) *Orat. pro domo sua.* (e) *Lib. I.*

de semissibus, & trientibus, contra rem publicam, latus est, stipatum viris bonis, impetum fecisse, pontes distractasse, *cistasque*, vel *cistellas*, disjecisse, quamvis MANVTIVS (f) locum hunc de *stella* potius, quam *cistella*, intelligendum esse, credat. Graviter, enim, eodem Manutio teste, illi errant, qui, eundem *cistarum*, & *stellarum*, in comitiis, usum fuisse, existimant, cum tamen *stellarae*, nomina tribuum, aut centuriarum, continuerint, quibus, sorte eductis, suum quaevis locum, in ferendo suffragio, cognoscebat; *cistellae*, vero, ipsas tabellas comprehendebant, quae, sine sorte, viritim tribubus, aut centuriis, suffragiorum caussa, ministrabantur. Ipsum *suffragium*, separatione tabellarum, nominibus istorum, quibus sententiam dicentes favebant, signatarum, ferebatur, quo facto, tabellae iterum in cistam, quam *Rogatores*, ingredientibus in septum, seu ovile, proponebant, conjiciebantur. Id, vero, de omnibus, non est accipiendo, cum tot, tantum, tabellae redderentur, quot magistratus creandi erant, quemadmodum ita in Consulum, Centorumque, creatione, duae; in Praetorum, sex, octo, decemve, pro numero Praetorum creandorum, exhibebantur. Omnes autem, in cistas propositas, simul deponebantur, ne, tot vicibus, centurias revocare oporteret, quot magistratus creandi essent, cum alias, in Praetorum creatione, pro unis comitiis, vel octo celebranda fuissent. Sic, de hoc negotio, *Gruchius* judicat, qui & aliam celebrem quaestionem, an, nimirum, postquam alicujus centuriae sententia lata erat, diribitores easdem tabellas rursus exhibuerint? graviter decidit (g). Existimat autem, semper novas tabellas distributas fuisse, idque, variis argumentis, comprobatur. Primum robur sententiae ejus addit inaequalitas centuriarum, quod scilicet aliae aliis frequentiores fuerint, atque, hac ratione, fieri non potuerit, ut eadem prioris centuriae tabellae, sequenti majori distribuerentur. Deinde evincit, si fe-

cus

(f) *De Comitiis Rom.* cap. 15. apud Graevium tom. I. p. 526. (g) *I. c.*  
Graev. p. 614.

cus statueretur, centuriam posteriorem certo certius pauciores, quam priorem, tabellas accepisse; in comitiis enim legum, uti mox audiemus, non nisi duae dabantur tabellae, quarum tamen una tantum in cistam conjiciebatur; in comitiis vero magistratum tot tabellae exhibebantur, quot candidati erant, tot autem tantum, quot magistratus creabantur, in cistam mittebantur. Hinc, itaque, extra omne dubium positum est, sequentes centurias, non tot tabellas, quot prima habuit, accepisse, sive easdem, libertate suffragiorum sublata, non aliam, quam prioris centuriae sententiam, dicere potuisse. Quod si vero aliquis Gruchio hoc dubium moveret, tabellas, quas singuli, ex priori centuria, retinuerunt, rogatoribus, deinde, redditas fuisse, facile is nodum ex incommodo, quod hanc sententiam comitatur, solvet. Illae enim tabellae rogatoribus, vel aperte, vel occulte, reddendae fuissent. Si aperte, suffragium celari non potuisset, quia ex redditis tabellis apparuisset, quae in cistas conjectae essent; si occulte, cistae ad omnes centurias, denuo deferendae fuissent, quod, propter temporis angustiam, fieri haud potuisset. Id, itaque, evictum manet, diribitores tantam copiam tabellarum praeparasse, ut, omnibus centuriis novas exhibere, prorsus non difficile fuerit. Sed satis de hac Gruchii quaestione, ad suffragium jam redeamus, circa quod sequentia annotanda veniunt. Collectis, per rogatores, totius centuriae tabellis, suffragis educendis, custodes adhibebantur, quorum munus erat, describere suffragia, totque puncta, in tabella notare, quot tabellae similes reperirentur. Hoc facto, ille candidatus, qui plura, per singulas centurias, puncta tulisset, sigillatim, per praecomen, nunciabatur, ut ab omnibus, in quam partem plures inclinent, conspiceretur. Quamvis, autem, sequioribus temporibus, apud Romanos, suffragia, usitatissime, per tabellas, darentur, nihilominus tamen, quandoque, vox & tabella conjugebantur. Exemplum ipse CICERO (h) exhibet,

(h) 2. Orat. in Rullum.

cujus

cujuſ verba, hac de re, ita fluunt: *Sed, tamen, magnificentius, atque ornatius, illo nil esse potest, quod meis comitiis, non tabellam, indicem tacitae libertatis, sed vivam vocem, prae vobis, indicem vestrarum erga me voluntarum, ac studiorum, tulistis; cui clarius locus accedit (i), in quo Cicero gloriatur, universam civitatem se non prius tabella, quam voce, priorem consulem declarasse.*

S. V. Expositis tabellis, in comitiis magistratum usitatis, ad tabellas, in comitiis legum adhibitas, nos convertimus, ubi, tantum, ista, quae cum comitiis magistratum non convenient, explicabimus. Inter haec, statim, numerus tabellarum est referendus; quoniam in comitiis magistratum, tot dabantur, quot candidati erant; in comitiis, vero, legum, res ipsa, non nisi, duas tabellas exigebat. Aderat unum objectum, de quo sententia ferenda erat, lex nimirum, de qua, hunc in modum, populus interrogabatur: *Vultis, jubetisne, ut lex frumentaria, de semissibus & tridentibus, feratur?* ad quam quaestionem, vel affirmando, vel negando, respondebatur. Duae, itaque, tabellae requirebantur; altera, quae unam literam *A. Antiquo*; altera, quae duas *V. R. Vti Rogas*, insculptas haberet, quarum prior *improbandi*, posterior, vero, *approbandi* nota erat. De posteriori luculentum testimonium CICERO (k) exhibet, quando dicit: *Operae Clodianae pontes occuparant, tabellae ministrabantur, ita, ut nulla daretur, Vti rogas.* Prior, aliqua ratione, obscurior apparet, quam, tamen, MANVTIVS (1) clariorem reddit, quando verbum, *Antiquo*, ita explicat, ut idem sit, ac in *antiquo statu rem esse jubeo, nihil innovari, nihil ferri volo.* Qua occasione, etiam, *leges antiquatas, & abrogatas*, non pro iisdem habendas esse, monet, cum antiquatam legem eam intelligamus, quae antea non extabat, sed lata a Magistratu, a populo respuebatur; abrogatam vero, quae, cum antea fuisset, in poste-

(i) in Pisonem. (k) lib. I. ad Atticum, Ep. 9. (l) l. c. de Comitiis Romanis.

rum non esse, a populo, jubebatur. Ne, tamen, aliquis tres tabellas, quandoque, in comitiis legum, exhibitas existimet, idem MANVTIVS contendit, quamvis utrumque verbum, cum antiquare, tum abrogare, aversam populi, a lege, voluntatem significet, non, tamen, eadem tabella utrumque fieri solitum; sed, in antiquando, tabellam, A, in abrogando, tabellam, V. R. latam fuisse, instituta prius, a Magistratu, quaestione: *Vultis, jubetis ne, ut lex, v. c. de ambitu, abrogetur?* Tandem & aliqua discrepantia inter comitiorum magistratus, & legum tabellas, in eo reperitur, quod ibi tot, quot magistratus creabantur, hic vero, tantum una, in cistam fuerit conjecta. Non, enim, nisi duae, distribuebantur; hinc, necessario, si quaestio vel affirmaretur, vel negaretur, tantum unica rogatoribus erat reddenda.

S. VI. Quod, denique, ipsa judicia spectat, jam olim, *Areopagitae*, ut, ex Macrobio, BVDAEVS (m) ostendit, taciti judicabant, quem morem, etiam, in judiciis Romanorum publicis, usitatum fuisse, reperimus. Fiebat hoc beneficio tabellae, quam, juxta HOFFMANNVM (n), Praetores judicibus dabant, qui, cum illos ad urnas ire, atque in earum unam tabellas, sententiam continentes, conjicere juberent, *mittere*, seu *dimittere*, *judices in consilium dicebantur*. Ab Hoffmanno recedit BVDAEVS (o), qui, auctore Asconio, existimat, tabellas judicibus ab eo, qui judicio praeerat, *Quaesitorque* nominabatur, fuisse exhibitas. Sed uterque, absque ullo negotio, facile conciliari potest. Ipso, enim, ASCONIO (p) judice, *Quaesitor*, & *Praetor*, unum, idemque, sunt, quod ex ipsius descriptione appetit, quando *Quaesitorem, Praetorem, de pecuniis repetundis, quaestionem exercentem*, interpretatur. Etsi, vero, Praetorum proprium erat quaerere, *Quaesitor*, tamen, non tantum Praetor ipse erat; verum etiam ille, cui partes suas Praetor delegaverat, qui & *judex quaestio-*  
nis

(m) Annotat. in Pandect. fol. 95. (n) l. c. f. 330. (o) l. c. f. 46.  
(p) in Verrin. Cis.

nis appellabatur, quod, iterum, ex *Aſconio*, patet, qui Iunium, Verre Praetore, Quaesitorem, in Cluentii cauſſa, fuisse, com- memorat; quamvis & hoc cum Hoffmanno non pugnet. Tabellae vero, quae a Praetoribus, vel Quaesitoribus, judicibus dabantur, tres erant, una *Absolutionis*, cum nota *A.* altera *Condemnationis*, in qua litera *C.* conspiciebatur, tertia *Ampliationis*, duobus his elementis inscripta, *N. L.* i. e. *non liquet*, quarum illa, qua sententia ferebatur, in urnam conjiciebatur. Sententia haec, praesente, praesidenteque, Praetore, lata, tabellaris, non *vocalis*, dicebatur, quod *Demosthenes, νοτία Μεδίς, νεόβριν ψηφίζεται*, nuncupat. Atque hae sunt tabellae, a Romanis, in comitiis magistratum, legum, & judicis, adhibitae, probe a *calculis*, qui *colore*, uti *tabellae, inscriptione*, distinguebantur, discernendae.

§. VII. Fundamentum tabellarum erant *leges tabellariae*, quae a tabellis nomen acceperunt, & non minus, quam ipsae tabellae, magnis laudibus evehuntur, ita, ut *SIGONIVS* (q) illas *extremum genus libertatis attulisse*, existimet; *CICERO*, vero, in *Corneliana*, *Cassiam tabellariam principium justissimae libertatis* appellet. Imo, hae leges, populo presso, pristinam libertatem restituerunt, qua ex causa, Romani etiam, leges tabellarias expetierunt, quod *Sigoniūs* inde probat, quia, a populo libero, lex tabellaria, nunquam desiderata, ab eodem vero, dominatu, ac potentia Principum oppreſſo, flagitata legitur. Eminent inter has leges quatuor, *Gabinia*, *Papyria*, *Cassia*, & *Coelia*. *Gabiniae* auctor erat *A. Gabinius*, Tribun. pleb. homo, *CICERONE* (r) suffragante, *ignotus*, ac *sordidus*, a quo A. V. C. 614. *Coff. Cn. Calpurnio Pisone*, & *M. Popilio Laenate*, prima lex tabellaria lata fuit; quamvis *FVNCCIVS* (s), contra *CALVISIUM* (t), & *HELVICVM*, (u) *Coff.* illos ad A. V. C. 615. referat, cui

C 2

GRVCHIVS

(q) de *Antiquo Iure Civ. Rom.* lib. I. cap. 6. *Graevii Antiqu. Rom.* tom. I. p. 84. (r) lib. III. de *legibus*. (s) *Chronol.* f. 48. (t) *Opere Chronol.* f. 375. (u) *Chronol. System.* novo. f. 21.

GRUCHIVS (x) accedere videtur, quando existimat, rationem, suffragia voce ferendi, ad annum urbis 615. perdurasse. Quicquid, autem, de hac sententia sit, nos in priori, potius, manebimus. *Funccius*, enim, multum hic ab aliis discrepat, in primis, quum annum 615. V. C. cum anno Mundi 3827. comparet, cui, tamen, apud citatos Auctores, annus 3812. responder. Praeterea, quoad Consules, jam in ipsis, qui primi fuerunt, *Funccius*, a communi sententia, recessit, quando Iunium Brutum & L. Tarquinium Collatinum, huicque surrogatum, P. Valerium Poplicolam ad A. M. 3457. retulit, qui tamen, alias, ad A. M. 3442. referuntur; non, itaque, mirum, quod, & hoc in passu, cum *Calvino*, & *Helvico*, non conveniat. Neque ista, quae GRUCHIVS attulit, nos movent, cum, forsitan, lata jam hac lege, demum, altero anno, usus tabellarum invaluerit, vel tantum mos, suffragia, per voces, ferendi, exclusive ad annum urbis conditae 615. duraverit. Denique, etiam, contra nostram sententiam, verba CICERO(NIS) (y), ab ipso Gruchio, adducta, non pugnant, quae Gabiniam, biennio, ante Cassiam, latam dicunt, quod, si vel maxime *Funccium* non sequamur, bene huc quadrabit. Ipsa lex, vero, nihil aliud in se comprehendebat, quam ut populus, in mandandis magistratibus, tabella uteretur, quare, etiam, biennio post, quod secundum nostrum computum, in A. V. C. 616. incidit, *L. Cassius*, homo quidem nobilis, sed, quod tamen *Cicero*, pace familiae, dixisse vult, *a bonis dissidens, atque omnes rumusculos populari ratione occupans*, Coss. M. Aemil. Lepido, & C. Host. Mancino, aliam priori superaddidit. Hac sua lege constituebat, ut non tantum judices, in judiciis, sed etiam populus, in comitiis, tabella sententiam diceret, ast, saltem, in tributis, quibus de mulctis judicaretur, non, vero, in judicio capititis, & perduellionis. *Cassiam* exceptit *Papyria*, a legislatore *C. Papyrio Carbone*, Tribun. pleb. ita nominata, quem *Cicero*, *se-  
ditiosum,*

(x) de Comitiis Rom. lib. I. c. 4. Graev. Antiqu. Rom. tom. I. f. 607.

(y) Lib. de Legibus 3. & Lib. de Amicitia.

*ditiosum, & improbum, civem appellat: cui ne redditus, quidem, ad bonos, salutem, a bonis, afferre potuerit.* Tempus, quo haec lex lata fuit, determinare vix sustinemus, cum Scriptores, quatuor annis, inter se, discrepant. Hoffmannus, in primis, ne quidem in Coss. cum Grucio convenit, cum ille A. V. C. 621. Coss. P. Pop. Laenate, & P. Rupilio Nep., hic vero A. V. C. 625. Coss. C. Sempronio Tuditano, atque Man. Aquillio, latam esse, contendit. Si, judicio accuratori, res decideretur, Hoffmannum, forsitan, stantibus Grucii rationibus, humani quid, hoc in negotio, passum esse, videretur. Nam, ex Historia jam constare, Grucius affirmat, C. Papir. Carbonem, eo anno, Tribunum plebis fuisse, quo mortuus est Africanus minor. Atqui CICERO (2) ait, mortuum Africanum, Tuditano, & Aquillio, Coss., unde consequitur, legem tabellariam Carbonis, eodem hoc anno, latam fuisse; qui annus, si, denuo, computum nostrum observemus, non in 625. sed 624. V. C. incidet. Misso computo, de re ipsa inquiramus, quae, breviter, in eo constebat, ut, in posterum, in jubendis, vetandisque, legibus, populus tabellam adhiberet. Supereft, tandem, quarta, Coelia, a Coelio, Tribun. pleb. lata, qui, Cicerone judice, quoad vixit, docuit, se ut opprimeret C. Popilium, etiam Reipubl. nocuisse. Quo anno hoc factum sit, Grucius ostendit. Dicit, enim, Ciceronem significare, eo anno legeim, a Coelio latam, quo C. Popilius in exilium abiit; ex historia, autem, Plutarchi, constare, exilium Popilii, in primo tribunatu Gracchi, contigisse, quare necessarium esse, pergit, Coelium, eodem anno, munus Tribuni plebis gessisse. Erat, autem, C. Gracchus Tribunus primum Coss. Q. Caecilio Metello Balearico, & T. Quintio Flaminio, A. V. C. si Grucii, 631., Anno vero 630. si nostro, computo inhaereamus. Hic, itaque, Coelius, quod reliqui omnes exceptant, in ipso, perduellionis crimine, non voce, amplius, sed tabella, sententiam ferre jussit. Quamvis, vero, tantum qua-

C 3

tuor,

(2) Lib. II. de Natura Dcor.

tuor, & quidem praecipuas, primariasque, leges tabellaris recenseamus, non tamen existimandum, plures his non extitisse, cum multas alias de pontibus, ne quis tabellam inspiceret, ne rogaret, ne appellaret, habeamus, quae tamen omnes, quatuor ilias, fusius explicatas, tanquam fundamentum supponunt.

§. IIX. Praemissa tabellarum explicatione, ad *Tabulas publicas*, quae, in ambitu suo, *leges, acta publica, foedera, debita, resque Reipubl. gestas*, comprehendebant, nos convertimus. Quamvis, autem, vocabulum hoc generalius sit, nihilominus, tamen, frequentissime, de actis publicis, a legibus, foederibusque, distinctis, usurpatur. Continebant, quippe, haec *acta publica*, seu, *tabulae publicae, res, quae ad interiorem Reipublicae statum faciebant, uno verbo, omnia, quae ad Reipubl. pertinebant*. Hinc, in istiusmodi tabulis, omnia patrimonii, dignitatis, aetatis, artium, officiorumque discrimina, referebantur, debitaque publica privatorum, annotabantur. Prius comodum, ordinatio, scilicet, exacta Republicae, ex censu Romanorum fluebat; nomina, enim, eorum, qui censebantur, in tabulas relata fuisse, ita certum est, ut nulla prorsus probatione indigeat. Id, tamen, monendum, ex sententia M A N V T I I, (a), duplices easdem fuisse, quarum alterae Romae, alterae in urbibus, aut oppidis, eorum, qui censum subierunt, asservabantur. Talem ordinationem F L O R V S, (b) in Servio Tullio, approbans, de eo commemorat, quod, ab ipso, populus Romanus sit in censum relatus, in classes digestus, curiis, atque collegiis, distributus, totaque respublica ita ordinata, ut, uti jam supra dictum, omnia patrimonii, aetatis, artium, officiorumque, discrimina, in tabulas referrentur. Posterioris, tabularum publicarum, momentum, publica, nimirum, debita, res Reipublicae equidem utilis, populo tamen, maxime, exosa erat; quare, etiam, quidam Imperatores, populo gratificaturi, penitus easdem exusserunt. Fecit id, Pater ille Romanae Patriae, Octavius Caesar

Augustus,

(a) *De Civit. Romana, tom. I. Antiqu. Rom. Graevii p. 27.* (b) *Lib. I. c. 6.*

Augustus, uti SVETONIVS (c) id, de ipso, annotavit, quod, e-  
quidem, constanti MSS. consensione, quae *excusit*, pro *exussit*, le-  
gunt, in dubium vocari posset, nisi hunc locum, jam, TORREN-  
TIVS, & CASAVBONVS (d), vindicassent. Confirmant, au-  
tem, judicio *Torrentii*, lectionem genuinam, Hadriani & Gra-  
tiani, Caesarum, de exustis, publicorum debitorum, tabulis, exem-  
pla, a *Beroaldo*, hic relata, & DIONIS (e) auctoritas, cuius ver-  
ba, hac de re, ita se habent: τὰ παλαιὰ συμβόλαια τῶν τῷ  
νοινῷ ὀφειλόντων ἔκαστε; cui accedit, quod *tabulas excutere*,  
magis laboriosum, quam magnificum, videatur. Sive, vero,  
hae tabulae res gestas Reipublicae, sive, populi consignatio-  
nem, sive, denique, debita publica, comprehendenderent, semper,  
magna fide, atque industria, scribebantur; adeo, namque, BA-  
RONIO (f) teste, execrandum erat, in tabulis publicis, falsum quid  
scribere, vel ex eis, aliter, ac res scriptae essent, recitare, ut hoc  
ipsum crimen, *primo capite Legis Majestatis*, ut VLPIANVS (g)  
tradit, includeretur. Atque, ob hanc rationem, Baronius exi-  
stimat, illa, ex omnibus, antiquiorum Martyrum, actibus, fidelio-  
ra, atque, in omnibus, magis integra, esse, quae, a fidei hosti-  
bus, scripta, atque in publica relata sunt Pro-Consulum monu-  
menta. Caeterum haec tabulae, in aerario, & aliis locis, asser-  
vabantur, qua de re pluribus, quando de *Tabulario* agendum  
erit, exponemus, SENECaque (h) teste, codices appellabantur,  
quia, apud anticos, plurium tabularum contextus, *caudex* vo-  
cabatur.

§. IX. Posteaquam, praecedenti paragrapho, Tabulas pu-  
blicas, generalius spectatas, ipsas legum, foederum, aliarumque  
materiarum, tabulas complecti, monuimus, congruum erit, ut,  
jam nunc, de ipsis, seorsim etiam, dispiciamus. *Leges*, de qui-  
bus, primo loco, agemus, apud Romanos, libero maxime po-  
pulo,

(c) *Lib. II. de XII. Caesar. c. 32.* (d) *Notis ad Sveton. l. c.* (e) *init.*  
*Lib. LIII.* (f) *tom. II. Annal. anno 290. n. 33.* (g) *l. 2. ff. ad Leg.*  
*Tull. Majest.* (h) *de Brevitate vitae, cap. 13.*

pulo, illi ferebant, qui summa potestate gaudebant, inter quos Dictatores, Consules, Decemviri, aliique, sunt referendi. Leges, igitur, a legislatore, bene, in primis, de republica sentiente, scripta, eadem, antequam fanciretur, in foro, seu in publico, proponebatur, ut in tabulam scriptam, qui vellet, inspicret, & inspectam consideraret, sive quivis Magistratum vel de corrigenda, vel de antiquanda lege, monere posset. Spatium promulgationis erat trinundinum, quandoquidem elapsis, a legis ferendae propositione, tribus nundinis, populus, ad comitia legum, convocabatur, & unicuique, ut supra fusi explicatum, duae tabellae diribebantur, dirematisque, dein, suffragiis, vel de antiquata, vel de accepta, lege cognoscetatur, &c, si ultimum contigisset, ab omnibus civibus, eadem, jure jurando, confirmabatur. Hoc facto, lex in tabulas incidebatur, quarum materiam Scriptores Antiquitatum, Romanarum pariter ac Graecarum, diversimode describunt. Communissima *aes* erat, cuius usum, in legibus, foederibusque, scribendis, jam olim, priisci Graeci, ac Romani, receperunt, id quod BRODAEVS, (i) variis Auctorum testimoniis, ex quibus aliqua adducemus, corroborat. Ita, namque, *Ariobarb. Scholia* inquit: Τέτο δν ἐκηρυξαν, κοι ἐν χαλκῇ σήλῃ ἔγραψαν, & DIO. SICVLVS: (k) Καὶ τελεθέσις τῆς υποκειμένης νομοθεσίας, τάυτην εἰς δώδεκα χαλκὶς πνανοις χαράξαντες, οἱ ὑπατοι προσήλωσαν. Τοῖς πρὸ τῆς βελευτήρις τοτε ιεμένοις ἐμβόλοις, quibus, e Latinis, Cicero, LIVIUS, aliique, accedunt. Maxime, autem, tale aes, quod & incidentibus, & legentibus, aptum esset, eligebatur, ac, ANT. AVGUSTINO (l) teste, in tot, quot requirebantur, tabulas, secabantur. Caussa, vero, quare, communissime, leges in aera, incisae fuerint, sine dubio, perennitas erat, quam IO. ADAMVS OSIANDER (m) praefert causae, a Farnesio allegatae,

de

(i) *Miscellan. Lib. IV. cap. 12.* (k) *Bibliothecae historicae, lib. XII.*(l) *Libro de Legibus, cap. 15. apud Graevium, tom. II. A.R. p. 168.*(m) *Typo Legis Moralis, ibid. 162.*

de metalli bujus clarissimo tinnitu, ex quo, proinde, campanae, & tubae, fiant, ut innueretur, leges, ab omnibus, esse intelligentias; de aeris usu, quo omnium, quibus nutrimur, sit aestimatio, ut judicetur, leges omnes nutrire; de aere adusta incidente, & rodente, ut admoneamur, leges purgare, abstergere, vitia, & putredini reipublicae resistere. Porro, tabulae legum, etiam, roboreae, seu ligneae, fuerunt, quas Porphyrio, in Horatium, a BRODAEO rejectus, aereis, antiquiores facit. Illustre exemplum legum, ligno inscriptarum, occurrit in tabulis Solonis, quae ἀξονες vocabantur, ex qua voce, uti & ex testimonio Gellii, atque Plutarchi, easdem ligneas fuisse, probatur. Praeter ligneas, etiam, eburneae legum tabulae dabantur, quo illud Martialis est referendum:

*Langvida ne tristes obscurent lumina Ceræ,*

*Nigra tibi niveum litera pingat ebur.*

Tandem & lapideæ, vel marmoreæ, reperiebantur. Sic, enim, Iustinianus suam constitutionem, Novellam octavam, ut Praefides provinciae, absque ulla pecuniae datione, ad officia mittantur, praecipit tabulis, aut lapidibus, insculptam, præ foribus templorum, edi, atque proponi. Imo, quandoque, cerussatae, vel linteæ, mappæ, adhibitæ fuerunt, uti ex constitutione Constantini, de alimento, patet, quam ille, per omnes Italiae civitates, aereis tabulis, vel istiusmodi mappis, scriptam, proponi jussit. Figura tabularum, quae leges continebant, varia erat. Licet, enim, apud Athenienses, alias, quadratae usu venirent, quas Demosthenes dicit, fuisse τετραγωνικὲ τὸ χίμα συνίδης; receptæ, tamen, etiam, fuerunt κώνοις, quas dicas τετρωνικὲ συνίδης, tabulas triangulas, forma pyramidum, λιθοῖς ορθοῖς, lapides erectos, in cacumen desinentes, capitisque summum verticem referentes. Postquam, autem, leges tabulis, cujuscunque materiae, vel figuræ, inscriptæ esent, aut publice proponebantur, ut oculis civium paterent, aut, etiam, in certum locum deferebantur, ibique reconditæ asservabantur. Publice proponebantur, quando in parietibus templorum, aliisque in locis, figurebantur.

D

bantur. Romae hoc, in *Capitolio* maxime, factum fuisse, CICERO (n) testatur, inquiens : *Falsas leges, & falsa de creta, in aes incidenda, & in Capitolio, figenda, curavit.* Figebantur, porro, tabulae legum, ad *statuam loricatam D. Iulii*, in *foro ejusdem* collocatam, quod satis, superque, ex PLINIO (o) innotescit. Fixis, tandem, istiusmodi tabulis, nemo easdem refigere audiebat, quia ille, qui hoc tentaverat, aut aliquid immutaverat, *lege Iulia, peculatus tenebatur*; quorsum VENVLEII SATVRNI NI (p) verba, ab ANT. AVGUSTINO (q) allegata, pertinent, quae ita sonant : *Qui tabulam aeream legis, formamve agrorum, aut quid aliud, continentem, refixerit, vel quid inde immutaverit, lege Iulia, peculatus tenetur.* Sed, in hoc negotio, probe sunt distingvendae leges falsae, & Reipublicae Romanae noxiae, a genuinis, & eidem Reipublicae proficuis. Si, enim, priores respiciamus, exempla omnino reperimus, tabulas, non obstante hac lege, refixas esse. Sic, de *Cicerone*, ab exilio reverso, PLVTARCHVS (r) refert, quod tabulas *Clodii*, quibus res, in tribunatu suo, gestae, continebantur, in *Capitolio* affixas, eodem *Clodio* absente, refixerit, atque corruperit. Praeterquam, vero, hae tabulae, in variis locis, figerentur, quandoque, etiam, uti jam monitum, in certis quibusdam reconditoris, qualia *tabularium, aerarium, atriumque Libertatis*, fuerunt, lege lata, abscondebantur. His in locis, illis, maxime, quae in *Capitolio* sita erant, legum tabulae, saepe, adversam expertae sunt fortunam, dum, vel iam ante conjurationem *Catilinariam*, aera legum, de coelo, tacta, & liquefacta esse, CICERO (s) commemorat, quod ipsum, etiam, sub, vel ante T. Flav. Vespasianum, accidit. Quemadmodum, vero, postea, ipsum *Capitolium*, a variis, restaurabatur; ita, quoque, hac occasione, tabulae aereae, cura, & solertia, praecipuorum viorum, restituebantur. Maxime, hoc in negotio, labor, atque cura,

(n) Philipp. tertia. (o) Lib. VIII. Epist. & quidem 6. (p) L. qui tabulam ad L. Jul. pecul. (q) Libro, de Legibus, cap. 15. apud Graevium, tom. II. p. 1168. (r) in Cicerone. (s) terita, in Catilinam.

cura, commemorati Imperatoris, Vespasiani, celebratur, qui, referente Svetonio (t), ipse restitutionem Capitolii aggressus, ruderibus purgandis, manus primus admovit, ac, suo collo. quaedam extulit, aeariumque tabularum tria millia, quae simul, conflagraverant, restituenda suscepit: undique investigatis exemplaribus, instrumentum Imperii, pulcerrimum, ac vetustissimum, confecit: quo, pene ab exordio urbis, Senatus-consulta, plebiscita, de societate, aliisque, continebantur; ex quibus tabulis, adhuc, aliquot extant, quas ANT. AVGUSTINVS, ad calcem libri, de Legibus, diligenter, prescribi curavit. Caeterum, quomodo hic Tacitus, Suetonius, & Dio, qui, illo tempore, Vespasianum absentem facit, conciliandi sint, cum CASAVBONVS (u), aliique, id non praestiterint, neque nos dispiemus.

§. X. Generaliter, huicdum, tabulas legum descripsimus, licet, nunc, ad specialius quid, XII, nimirum, *Legum tabulas* progredi, quae, sua celebritate, reliquas omnes superant, hicque, exempli loco, esse possunt. Haec, autem, XII tabularum lex, iudicio AVGVSTINI, itadicebatur, non, quod duodecim, numero, *Leges* in se contineret, sed quod, totidem tabulis, conscripta esset. LIVIVS (x) has XII Legum tabulas, etiam, *leges decemvirales*, propter rationem mox adducendam, appellat, tantisque easdem, alio in loco, (y) laudibus effert, ut in immenso, aliarum, super alias acervatarum, legum, numero, fontem, tamen, omnis publici, privatique, juris, XII tabulas esse, pronunciet. Tempus, quo XII legum tabulae compositae, & scriptae, sunt, non difficulter, eruitur; siquidem GELLIUS (z) attestante, id trecentesimo, post *Romanam* conditam, anno, contigit. Occasio harum tabularum erant lites, *Romae*, de legibus ortae, quas, certi alicujus juris constitutione, tollere, consultum videbatur. Creabantur, itaque, *Decemviri*, qui, uti

D 2

Pom-

(t) *Lib. VIII. cap. 8.* (u) in *Notis ad hunc Suetonii locum.* (x) *Histor. lib. III. cap. 58.* (y) *ibid. cap. 34.* (z) *Lib. 20. Noct. Attic. c. 1.*

*Pomponius, Ictus*, loquitur, leges, a Graecis, peterent. Quamvis, enim, *Livius* (a) legatos, *Sp. Postumium Album*, *A. Manlius*, & *P. Sulpitium Camerinum*, Athenas missos, inclitasque leges *Solonis* describere, & aliarum Graeciae civitatum instituta, mores, juraque, cognoscere, jussos esse, scribat; tamen, cum hos tres, postea, inter Decemviro, relatios esse, sciamus, omnis pugna hic evanescet. His e Graecia, cum Atticis legibus, redeuntibus, eo intentius, tribuni instabant, ut, tandem, scribendarum legum initium fieret, quod & memorati, iamjam, Decemviri *Ap.* videlicet *Claudius*, *T. Genutius*, *P. Sextius*, *L. Veturius*, *C. Iulius*, *A. Manlius*, *P. Sulpitius*, *P. Curatius*, *T. Romilius*, & *Sp. Postumius*, praefliterunt, ac, tandem, decem tabulas, magna populi expectatione, acceptas, pro rostris, in publico, proposuerunt, populumque, ad concionem, convocaverunt, &, quae verba *Livii* sunt, quod bonum, faustum, felixque, Reipublicae, liberisque eorum, esset, ire, & legere leges propositas, jussierunt. Addiderunt, insuper, se, quantum, decem hominum ingenii, provideri potuerit, omnibus summis, infimisque, jura aequasse, plus pollere multorum ingenia, consiliaque, versarent in animis, secum, unamquamque rem, agitarent, deinde, sermonibus: atque in medium, quid, in quaquere, plus, minusve, esset, conferrent. Eas leges habiturum populum Romanum, quas consensus omnium non jussisse magis, quam tulisse, videri posset. Quum, deinde, satis correctae viderentur, comitiis centuriatis X tabularum leges perlatae, resque necessitate ita poscente, sequenti anno, adhuc due tabulae additae fuerunt. De materia ipsarum Scriptores, iterum, non conveniunt. OSIANDER scribit, *Scaligerum* statuere, eadem ligneras, seu roboreas, fuisse, quas, tamen, *Pomponius, Ictus*, quem BEYERLINCK, & BRODAEUS, citarunt, eburneas facit, quamvis MANTIVS (b) *Pomponii* cuiusdam verba adducat, quae, plane, contrarium

(a) *Hist. lib. III. cap. 31. conf. 32. 33. & 34.* (b) *de Legibus Rom. cap. 2. apud Graev. A. R. 1000. II. p. 1030.*

trarium evincunt, quando leges has, in tabulis *X aeneis*, scriptas esse, docent. Huic postremae sententiae *LIVIVS* (c), & *DIODORVS SICVLVS* (d), accedunt, qui, expresse, leges decemvirales, aereis tabulis, incisas esse, memorant, cui asserto, cum plurimis antiquitatum Scriptoribus, calculum & nos adjicimus. Quid, vero, in ipsis XII aereis legum tabulis iussum, vetitumque, fuerit, cum instituti ratio, ut fusi id hic enarramus, non permittat, cupidum Lectorem, & plura desiderantem, ad *ANT. AVGUSTINVM* (e), Auctoresque, ab ipso citatos, remittimus.

§. XI. Proximum, post tabulas legum, locum, inter publicas, *tabulae foederum*, sibi vindicant, quae, etiam, in plurimis, cum tabulis legum, convenient. Nam, uti leges, ita, etiam, foedera aeri insculpebantur, insculptaque vel omnium oculis proponebantur, vel, etiam, in tabularium, seu locum debitum, deferebantur, ut, adeo, hic nihil monendum veniat, praeterquam quod paria, cum tabulis legum, fata habuerint, &, cum *Capitolio*, conflagrata, a *Vespasiano*, tamen, cum reliquis, restituta fuerint. Exemplum istiusmodi tabularum, *illustre foedus Iudee Maccabaei, Ionathanis, & Simonis Magni, summi Iudeorum Sacerdotis*, cum Romanis initum, suppeditat, cujus momenta, aereis tabulis insculpta, a Romanis ad Iudeos sunt transmissa. Testatur id gravis auctor Lib. I *Maccabaeorum*, quando is cap. VIII, 22, ita scribit: Καὶ τὸτο τὸ ἀντίγραφον τῆς ἐπισολῆς ήσ, ἀντέγραψεν ἐπὶ δέλτοις χαλκοῖς, καὶ απέσελεν εἰς Ἱερουσαλήμ, ἕναν παρ' αὐτοῖς ἐκεὶ μημόσυνον εἰζήνης καὶ συμμαχίας. &c. XIV, 18. Ἐγράψαν πρὸς Σύμμαχα, δέλτοις χαλκοῖς τὸ ἀναγενώσαθαι περὸς αὐτὸν Φιλίαν καὶ τὴν συμμαχίαν, ἃν ἔστησαν πρὸς Ἰεδαν καὶ Ἰωνάθαν τὰς ὁδελφάς αὐτῷ. Et huc, etiam, trahenda sunt verba versus 26. & 27. si, nimirum, fructum foederis considereremus, quae hujus sunt tenoris: Ἐγράψαν αὐτῷ ἐλευθερίαν.

D 3

καὶ

(c) *I. c. cap. 58.* (d) *L. praecl. §. citato.* (e) *I. c. peculiari, atque prolixo, titulo, apud Graev. tom. II. p. 1281.*

ναὶ κατέγειραν ἐν δέλτοις χαλκαις, ναὶ ἔθεντο ἐν σύλλογοις ἐν  
ὅρει Σιών. Huic exemplo sanctiori profanum adjungemus, foedus, scilicet, inter Pœnos & Romanos factum, de quo ALEX.  
DONATVS, (f) ex Polybio, commemorat, quod illud, aereis tabulis inscriptum, in templo Iovis Capitolini suspensum, ibique,  
ab aedilibus, diligentissime, custoditum fuerit.

§. XII. Quemadmodum, autem, Romani foedera, quibus peregrinis summa beneficia exhibebant, tabulis insculpi jubebant; ita, etiam, si peregrinos ipsa civitate donabant, rem similiiter instituebant, nominaque, civitate donatorum, tabulis incidebant. Tali modo Caesar, SVETONIO (g) narrante, integrum legionem, quam ipse, Gallico vocabulo, Alaudam vocabat, disciplina, cultuque, institutam, civitate *Romana* donavit, quamvis idem postea, ut CICERO (h) tradit, propter sordidos quosdam homines, qui *Caesaris* beneficia vendebant, tabulam, in qua nomina, civitate donatorum, insculpta erant, revelli mandaverit. Uti, vero, peregrini homines civitatem *Romanam* virtute, & meritis in Rempublicam, conseqeabantur; ita, ob turpem, ignominiosamque, vitam, vel *tribus* amittebatur, vel mutabatur, ut ille, qui tribui nobiliori adscriptus esset, ad inferiorem, ignobilioramque, descendere cogeretur. Talis, autem, qui tribum amittebat, tum *aerarius* fieri, tum in *aerarios*, aut *Caeritum tabulas*, referri, dicebatur, quae tabulae a *Caere*, Hetruriae oppido, ita vocabantur, cuius civitatis incolae ad hoc, tantum, ut tributum penderent, cives censebantur. Quid, autem, sit, *in tabulas Caeritum referri*, super eo negotio, ex Asconio, & Gellio, MANVTIVS (i) nos informat. Prior, hanc in rem, sequentia proponit: *Regendis moribus civitatis, Censorres, quinto quoque anno, creari solebant, hi prorsus cives sic notabant, ut, qui Senator esset, ejiceretur Senatu, qui Eques Roma-*

NHS,

(f) de Urbe Roma, lib. II. cap. 19. apud Graev. Antiq. Rom. tom. III.

p. 593. (g) Lib. I. cap. 24. (h) Epist. fam. lib. XIII. epist. 36.

(i) de civitate Romana, apud Graev. tom. I. p. 27.

nus, equum publicum perderet, qui plebejus, in Caeritum tabulas referretur, & aerarius fieret, ac, per hoc, non esset in albo centuriae suae, interim, tamen, civis adhuc maneret, tantummodo, ut, pro capite suo, tributi nomine, aera penderet. Posterior, vero, scilicet GELLIVS (k), momentum hoc exponens, Primos, inquit, municipes, sine suffragii jure, Caerites esse factos, acceperimus, concessumque illis, ut civitatis Romanae honorem quidem caperent, sed negotiis, tamen, atque oneribus, vacarent, pro sacriss, bello Gallico, receptis, custoditisque. hinc tabulae Caerites appellatae, versa vice, in quas Censores referri jubebant, quos, notae causa, suffragiis privabant. Breviter, ille in Caeritum tabulas referebatur, qui aerarius fiebat, h. e. ferendi suffragii, & capiendi muneris publici, potestate omni privabatur, ut, tantum, civis nomen ad aera, pro suo capite pendenda, retineret. Neque, tamen, existimandum, unum, idemque, esse, referri in tabulas Caeritum, & tribu moveri, quum maxima, inter haec duo, differentia reperiatur, quam laudatus Manutius clare nobis ante oculos posuit. Supra, enim, jam expositum, in tabulas Caeritum referri, idem esse, ac, prorsus, tribum, cum omni potestate, suffragium ferendi, munusque publicum capessendi, amittere, & aerarium fieri. Jam, vero, qui tribu movebatur, suffragio non privabatur, quia unaquaque, etiam inferior tribus, jure, suffragium ferendi, gaudebat. Cum tabulis Caeritum, tandem, omnes criminales conjungendae erunt, quoniam & rerorum sententiae capitales, vel quibus in exilium mittebantur, tabulis, & columnis, aeneis, inscribebantur.

§. XIII. Tandem &, inter tabulas publicas, non negligendae sunt tabulae novae, quae, a Plutarcho, ἀποκοπαι χρεῶν, seu, rescisiones debitorum, vocantur. Has, ut, eo distinctius, describamus, ante omnia, tenendum, obaeratorum statum, apud Romanos, durissimum fuisse, ut adeo, usura multiplici, omnia arrodente, ac, velut tabe pestifera, ad corpus item correrente,

per

(k) Lib. XVI. cap. 13.

per summam, inexsuperabilemque, ac Diomedeam, quodammodo, (quae verba LVD. COELII RHODIGINI (l) sunt,) novarum tabularum decreta, patribus expressa, nascerentur. Sic, itaque, in gratiam obaeratorum hominum, jussu summorum imperantium, tabulae novae, in foro, suspendebantur, quamvis, SIGONIO (m) suffragante, nemo, unquam, nisi perturbanda Reipublicae cupidus, legem novarum tabularum promulgaverit, sed, potius, optimus semper quisque, & otii amantissimus, easdem repudiaverit. Id, maxime, a se factum, Cicero, ab eodem SIGONIO (n) citatus, gloriatur, dum nunquam vehementius, quam se Consule, ab omni genere hominum, & ordine, ne solveretur, tentatum esse, scribat, quibus ita se restitisse, asserit, ut totum illud malum de Rep. tolleretur, ex quo, tandem, hunc fructum se obtinuisse, existimat, quod, quamvis nunquam, quam eo tempore, magis aes alienum fuerit, etiam nunquam illud, facilius, fraudandi spe sublata, solvendique necessitate inducta, dissolutum sit. CAESAR (o), etiam, ut non minus prudenter, hac in re, versaretur, singulari aliqua fraude usus est, ne sibi, apud Optimates, invidiam pareret, & ut plebi, simul, satisfaceret. Is, enim, tabularum novarum publicationem, a populo expectatam, equidem suppressit, quicquid, autem, usurarum nomine, numeratum fuerat, id in sortem redigit, decrevitque, ut debitores creditoribus, per aestimationem possessionum, satisfacerent, quanti quisque, ante bellum civile, comparasset, qua conditione quarta, fere, pars debiti deperibat. Et, sane, ipsa res postulabat, ut caute, hoc in negotio, summi imperantes procederent, quum, omnino, id, quod tabulis novis continebatur, maxime odiosum esset. Per illas, enim, obaerati, contra rigorem creditorum, tuti praestabantur, imo lex, de aere alieno, plebi, invitis creditoribus, relaxando, fereba-

(1) *Lettionum antiquarum*, tom. II. lib. XII. cap. 20. p. m. 143. (m) *de antiquo Jure Civ. Rom.* lib. I. cap. 6. apud Graev. tom. I. p. 83.

(n) *L. modo tantum c.* (o) *Vid. Svet. lib. I. cap. 42.*

ferebatur. Atque hinc factum, quod haec tabulae convitiis magis, quam laudibus, passim, obrutae fuerint. Ita, namque, LIVVS (p) rogationes de tabulis novis, & de agro, viritim, dividendo, duas faces novantibus res ad plebem, in Optimates, accendendam; SENECA, rem pernicioſſimam beneficiorum; CICERO, labefactionem fundamentorum Republicae, appellat, quae nihil aliud argumenti haberent (q), quam, ut alius mea pecunia fundum emat, eum ille habeat, ego non habeam pecuniam. SALVSTIVS (r), etiam, Catilinam, publicae quietis turbatorem, arguens, inquit: *Tunc Catilina polliceri coepit tabulas novas, proscriptionem locupletium.* Sed neque convitia hic sufficiunt, cum, re ipsa, tabulae novae maximas, saepe, turbas dederint. Ex IVSTINO (s), enim, constat, occasione petitarum, a plebe, novarum tabularum, divisionisque agrorum divitum, negato Ateniensibus, a TIMOTHEO, Ateniensum, & EPAMINONDA, Thebanorum duce, auxilio, CLEARCHVM, cui iidem patria interdixerant, ad tutelam patriae revocatum, ex defensione Senatoriae cauſae, repente, patronum plebis evaluisse, plebemque non solum accendisse, verum etiam nefandissima quaque tyrannicae crudelitatis exercuisse. Tales turbae, ex tabulis novis ortae, etiam apud Romanos, frequentes fuere. Id suo, quamvis infelicissimo, exemplo Marcus Coelius, cuius fata VELL. PATERCVLVS (t) describit, satis, superque, comprobat, qui, in praetura, tabularum novarum auctor exstitit, nequiique Senatus, & Consulum, auctoritate deterrei. Quare etiam, deinde, in urbe seditionem, haud magis occulte, bellicum tumultum, movens, primo summotus a Republica, mox, consularibus armis, auctore Senatu, circa Turios, est oppressus.

§. XIV. Tabulis publicis, hucusque, expositis, natura rei nos ad locum, ubi eaedem asservatae fuerunt, deducit. Hic locus, a tablino, tanquam publicus, a privato, distinctus, si omnia

E tabularum

(p) Hist. Lib. XXXII. cap. 38. (q) de Offic. Lib. II. cap. 50. (r) Bello Catil. §. XXI. (s) Histor. Lib. XVI. cap. 4. (t) Histor. Lib. II. c. 68.

tabularum publicarum receptacula, in ipsa urbe *Roma*, alibi, reperta, comprehendamus, generali vocabulo, *Tabularium* vocatur. *Graecis* idem ille est ἄρχεῖν, γραμματοφυλάκιον, seu χαρτοφυλάκιον, qui, & nostris temporibus, vulgo, *Archeum*, seu *Archivum*, dicitur. *Romae* non unum ejusmodi tabularium, sed plurima, inveniebantur, quae nunc, distincte, consideranda veniunt. Ut, autem, ab ipso *Capitolio* initium faciamus, duo, in primis, loca, tabulis publicis destinata, in eodem, se offerebant, quibus, si placet, propter vicinitatem, *Aerarium* adiungi potest. Alter erat ipsum *Jovis Capitolini* templum; alter, vero, *Tabularium* in specie sic dictum. Quod ad *Jovis Capitolini* templum attinet, *Alex. Donatus*, de foedere, inter Poenos, & Romanos, citatus, ex *Polybio*, evincit, ejusdem foederis tabulas, in eo, suspensas fuisse, unde postea insert, *Romanos*, in templo *Jovis*, multa intra, extrave, in porticibus, praesertim, leges, in aereis tabulis, apposuisse. Plura, tamen, rerum publicarum monumenta ipsum *Senatus Tabularium*, totum huic negotio destinatum, continebat, ad quod, juxta descriptionem *Olat Borrichii* (u), a templo *Jovis tonantis*, versus aream *Intermontii Capitolini* via patebat. Hujus Tabularii mentio fit in veteri inscriptione *Capitolina*, quam *ALEX. DONATVS* (x), ex *Fulvio*, & *Marliano*, hunc in modum, conceptam, exhibet:

Q. LVTATIVM. ET. Q. CATVLVM. COSS.

SVBSTRUCTIONEM. ET. TABVLARIVM

DE. SVO. COERAVISSE

Celebritas istius tabularii magna est. In illo, enim, omnia Senatus consulta, Plebiscita, Privilegia, Leges, & alia Patrum, Populi, & Principum, decreta asservabantur, ac omnia, pariter, passua, praedia, vestigalia, portoria, civitates, redemptionesque publicanorum, perscriptae cernebantur. Dolendum hinc, quod tot antiquitatum thesaurus, bello *Italico*, incensus, atque exustus, fit,

(u) *Antiqua urbis Romanae facie*, cap. X. apud Graev. tom. IV. p. 571.

(x) *de Urbe Roma*, lib. II. cap. 2. apud Graev. tom. III. p. 594.

sit. Testatur id CICERO (y), quando inquit: *Sed exeamus e theatro, veniamus in forum sessum, ite, precor, quid? ut judicetur, qui tabularium incenderit;* & apertius, his verbis (z): *Hie tu tabulas desideras Heracliensum publicas, quas, Italico bello, incenso tabulario, interisse, scimus omnes.* Dubium, interim, non est, quum ipsum Capitolium, multaeque tabulae restitutae sint, tabularium, quoque, restauratum esse. Porro, sub Capitolo, vel in clivo Capitolino, tabulis publicis recondendis, Aerarium, templo Saturni adjunctum, consecratum erat, unde, quandoque, in aedium Saturni, quandoque, in aerarium, tabulae illatae dicuntur. Quod, vero, aerarium aedi Saturni junctum fuerit, inde originem trahebat, quia, sub Saturno, nulla furta esse, credebatur, vel, quod, ex agricultura, maximi redditus percipiebantur. Uti, autem, duplex Saturni aedes, ita, etiam, duplex Aerarium, Romam ornabat, quorum alterum, aerarium Reipublicae, alterum, militare, vocabatur; quod posterius, Augustum, cum vestigalibus novis, instituisse, SVETONIVS (a) tradit: ast id non liquet, an, etiam, in aerario militari, pariter, uti in aerario Reipublicae, tabulae publicae reconditae fuerint. Progredimur ad Atrium Libertatis, aedi Libertatis annexum, isti scilicet, quae in Aventino monte sita erat. Quemadmodum, enim, duo Saturni, ita, etiam, duo Libertatis, templa, Romae, reperiebantur, alterum, in Capitolio, alterum, in Aventino monte. Istius, in Capitolio, MARLIANVS (b), ex Ciceronе, meminit, qui, postquam de templo Fidei locutus esset, ita pergit: *Quid Opis? quid Salutis? quid Concordiae? Libertatis? Victoriae?* quarum rerum, quia vis est tanta, ut sine Deo, regi non posset, ipsa res Deorum nomen obtinuit. Longe, tamen, celebrior, apud Auctores, est aedes Libertatis, in Aventino monte, constituta, quam, ex multatitia pecunia, cum aereis columnis,

E 2 a patre

(y) *de natura Deorum*, lib. 3. (z) *Orat. pro Archia Poeta.* (a) *Lib. II. cap. 49.* (b) *Vrbis Romae Topographia, Lib. II. cap. 6. apud Graev. tom. III. p. 84.*

a patre T. Gracchi, & conditam, & dedicatam, esse, idem MARLIANVS (c), ex *Livio*, commemorat. Huic aedi, vel eodem tempore, quo exstructa fuit, vel non multo post, *Atrium* est adiectum, quod, deinde, *Haelius Paetus*, & *Cor. Cetbegus*, restauravit, & amplificavit. Dies ipsi solemnis erat Idus Aprilis, quod ex his OVIDII (d) verbis appetet:

*Occupat Aprileis Idus cognomine Victor*

*Iupiter: bac illi sunt data tempa die.*

*Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro*

*Atria Libertas coepit habere sua.*

Duplici, interea, commodo, hoc atrium inserviebat, posteaquam, in illo, & certae personae custodiebantur, & tabulae publicae asservabantur. Illius facit LIVIVS (e) mentionem, quando refert, *Tarentinos obsides*, in *Atrio Libertatis*, minore cura, custoditos, per Phileam Tarentinum, occasionem elabendi natos esse. Hoc, vero, asservatio, scilicet, tabularum publicarum, non, adeo late, est capiendum, sed, in primis, ad tabulas, quae ad *Censores* spectabant, restringendum, quod, iterum, aliqua ex parte, ex LIVIO (f), conjici potest, qui, *Censores*, ex *Templo*, in *Atrium Libertatis* descendisse, ibique tabellas publicas signasse, tabularium clausisse, & servos publicos dimisisse, narrat. Denique, attingimus *tabularium*, in aede *Nympbarum*, de quo, ubi situm, vel, quomodo, a reliquis, distinctum fuerit, nihil certi determinare licet, quum ex unico, qui, hac de re, se nobis obtulit, CICERONIS (g) loco, nihil aliud sciamus, quam, *Milonem eum*, qui aedem *Nympbarum* incendit, ut memoriam publicae recensionis, tabulis publicis impressam, extinguiveret, occidisse. Tandem, generaliter, de tabulariis, adhuc, est tenendum, non *Romae* tantum, verum, etiam, in omnibus provinciis, praecipuisque urbibus, tabulis publicis tabularia sua consecrata fuisse. Et haec de tabulariis sufficient: nunc ad

Prae-

(c) Ibid. lib. IV. cap. 5. p. 133. (d) Faistorum, lib. IV. (e) lib. XXV. cap. 7.

(f) lib. XLIII. cap. 16. (g) Orat. pro Milone, in medio.

Praefectos, & Curatores, eorum, quos *Roma* urbs varios exhibet, transeamus. Mentio istorum injicitur in veteri inscriptione, quam, ex *LIPSIO* (h), hic apponemus:

C. CALPETANVS. STATIVS

SEX. METRORIVS

M. PERPENNA. LVRCO

T. SARTIVS. DECIANVS

CVRATOR. TABVLAR.

PVBLICOR. FAC. CVR.

Fata, vero, hujus dignitatis, COELIVS, ortu RHODIGINVS (i), optime tradit, ex quo habemus, tabularum publicarum curam, varie habitam, &, saepe, immutatam esse, quando *Augustus* Senatus praefectos deligere permisit: ambitu, autem, suffragiorum suspecto, inita mox ratio fuit, ut sorte, ex Praetorum numero, qui praeessent, ducerentur. Sed *Claudius* ad Quaestores rediit, at *Nero* praefectura perfundit, ac, usu rerum pluri-  
mo, peritis, comprobatisque, onus illud iniunxit.

§. XV. Praeter Curatores tabulariorum, in tabulariis, ne-  
gotia quaedam expedienda habebant tabularii, etiam tabellio-  
nes, qui, alias, bonae fidei homines existimabantur, &, gene-  
rali vocabulo, censuales dicti. Hi non ingenui, & liberi, sed,  
potius, publici servi, erant, quod, initio, dubium videri pos-  
set, nisi tot Auctorum testimoniis, & legibus, fulciretur, quas,  
hic adducere, non opus esse, putamus, quum nobis sufficiat,  
si locum illum diluamus, qui nostrae sententiae obstare vide-  
tur. Extat ille apud COR. TACITVM (k), &, hunc in mo-  
dum, fluit: *Domitius Balbus erat praetorius, simul longa senecta,*  
*simul, orbitate & pecunia, insidiis obnoxius.* Ejus propinquus, Va-  
lerius Fabianus, capessendis honoribus destinatus, subdidit testa-  
mentum, a scitis Vicio Rufino, & Terentio Lentino, equitibus Ro-  
manis.

E 3

(h) *Excursus ad Tacit. Annal. lib. V. cap. 4.* & quidem ad verba: Com-  
ponendis patrum actis. (i) *Lection. antiquar. tom. II. lib. XII. cap.*  
21. p. m. 145. (k) *Annal. lib. XIV. cap. 40.*

manis. Illi Antoniu[m] primum, & Asinio Marcellum, sociaverant. Antonius, audacia promptus, Marcellus, Asinio Polione, proavo, clarus, neque morum spernendus habebatur, nisi, quod paupertatem praecipuum malorum credebat. Igitur Fabianus Tabulas iis, (tabularis) quos memoravi, & aliis, minus illustribus, obsignat. Ex hoc, itaque, loco colligi posset, tabularios ingenuos, non servos, fuisse, quia Vicius Rufinus, & Terentius Lentinus, equites, atque alii, minus illustres, tabularii nominantur. Sed, facile, tota haec difficultas, si modo textus Cornelianus emendetur, superari potest. Facem nobis LIPSIVS (1) praefert, cui MARCELLVS DONATVS (m) Veteranum adjungit, qui, Lipsius, pro tabulariis, tabulas iis, substituit. Ad hanc lectio[n]em Vaticanum se manuduxisse, refert, in quo, pro Tabulariis, quomodo reliqui omnes legunt, Tabulas, invenit. Ast, quamvis certum sit, tabularios servilis generis fuisse, id, tamen, mirum videtur, & maxime dubium manet, quare antiqui servos ad talia officia, quae, potius, ingenuos decebant, adhibuerint. Hinc & Romani ip[s]i, successu temporis, hic errorem aliquem commissum esse, animadvententes, consilium mutarunt. Arcadii, enim, ac Honorii, constitutione sanctum, postea, est, ut nulli, deinceps, ad tabularii officium aditus pateret, qui servi-tuti obnoxius esset. Id, etiam, ipsa officii hujus gravitas requirerat; tractabant, namque, tabularii, provinciarum chartas, & tabulas publicas, rationes debitorum Reipublicae inibant, quod Vlpianus, apud COELIVM RHODIGINVM (n), innuere videatur, quando dicit, se, quoque, adversus tabularium, qui in computatione fefellit, actiones dandas putare; porro, nomina illorum, qui tributa solverant, in codicem referebant, & debitoribus breves debitorum tradebant: sic, enim, CONSTANTINVS (o) inquit: *Ducenarii & centenarii, sive, sexagenarii, non prius debent aliquem ex debitoribus convenire, quam a tabulario civitatis*

(1) Notis ad hunc Taciti locum. (m) Dilucid. in Livii lib. XLIII. (n) Lect. antiqu. tom. I. lib. VII. cap. 6. (o) de Exact. tribut.

*tatis, nominatim, accipient breves debitorum.* Nec minus tabularii syngraphas scribebant, ac ad alias, quoque, res privatorum adhibebantur, ut subscriberent, vel stipularentur, vel, fide publica, firmarent, tanquam illi, qui instrumenta, fide publica, conficiebant. Imo, uti MARCELLVS DONATVS refert, tabularii obsignationi tabularum, in tabulariis publicis, inserviebant, unde Ferretus, a Lipsio citatus, eosdem obsignatores, & scriptores, testamentorum facit, quod, tamen, alii negant, quum ex loco Corneliano, supra vindicato, appareat, testes, qui antiquitus septem erant, quod etiam, nostro tempore, observatur, atque, hac ratione, ingenuos, non tabularios, seu servos, testamenta obsignasse.

§. XVI. Hactenus, de publicis tabulis, ipsarum conditoris, & administris, egimus, ad privatas, igitur, progrediemur, inter quas quaedam occurunt, quae, cum publicis, multa communia habent; quaedam, vero, quae tantum privatae sunt, &, cum publicis, vix comparari possunt. Ex illis, primo loco, considerandae veniunt Tabulae accepti, & expensi, apud Romanos, & Graecos, usitatissimae, &, a quovis, scribi solitae, quum illi, qui ejusmodi tabulas non conficerent, dissolutissimi, & negligenter, haberentur. Unde, BVDAEO (p) annotante, de homine tali negligente, & parum scribente, ipsum ne tabulas quidem adornare, proverbialiter, dicebatur. Et hoc, uti ex CICERONE (q) patet, etiam ad illos trahebatur, qui, vel non ab initio, quamprimum, a patria potestate, liberi erant, sed, ex tempore aliquo, tabulas conficiebant, vel aliquando, a proposito suo, desistebant. Neque id, sine sufficienti ratione, veteres suscipiebant; posteaquam hae tabulae ita uniuscujusque domum felicem praestabant, ut, in eadem, omnia, sicuti in Republica, bene constituta, procederent. Scribebantur, autem, in istiusmodi tabulis, rationes acceptarum, & expensarum, pecuniarum, quod vel tumultuarie, vel studio, dataque opera, fiebat. Si,

tantum

(p) Annotat. in Pandectas, f. 285. (q) Sexta in Verrem, de legatione.

tantum tumultuarie, accepta, & expensa, annotabantur, tabulae illae nihil aliud erant, quam libelli, in quibus, per dies singulos, scribimus, quid damus, vel accipimus, &, plerumque, *Adversaria* vocabantur, quod COELIVS RHODIGINVS (r), ideo, factum arbitratur, quia, adversa parte, etiam, & per transversum, scriptura implebantur: nam, negligenter admodum, tanquam parvi temporis memoriam continentes, moxque obliterandae, conficiebantur. Ut, vero, duplex, *Adversaria* componendi, modus, ita, quoque, ipsa *Adversaria* duplicita erant. Quidam, enim, tantum, in singulos dies, accepta, & expensa, in eadem conjiciebant, ac, deinde statim, in codices referebant; quidam, vero, nonnisi mense elapso, hoc faciebant, quare illa, *Diaria*, & Graece, *Ephemerides*, haec, *Calendaria*, vel *tabulae menstruae*, vocabantur. His *Budaeus* adversari videtur, qui, expositis *Diariis*, & *Calendariis*, ad *Adversaria*, demum, pro-greditur, &, hac ratione, haec, ab illis, distinguit, facile, ta-men, nobis, conciliatur, si, vel, per *Diaria*, & *Calendaria*, ab eodem laudata, ipsum tabularum, accepti, & expensi, codi-cem eum intellexisse; vel, quod magis verisimile est, aliquan-tis per confusius, locutum fuisse, judicemus. De *diariis*, autem, cum nullum, fere, dubium sit, quod illa ad *Adversaria* pertinuer-int, hinc, tantum, de *Calendariis*, res erit conficienda. At-que, hic, sententiae nostrae CICERO (s), ab ipso *Budaeo*, in se-quentibus, citatus, accedit, cuius verba, litem hanc prorsus di-riimentia, ita sonant: *Quid est, quod, negligenter, scribamus adversaria? quid est, quod, diligenter, conficiamus tabulas? qua de causa? quia haec sunt menstrua, illae sunt aeternae: haec de-lentur statim, illae servantur sancte: haec, parvi temporis, me-moriam, illae, perpetuae existimationis, fidem, & religionem, am-plectuntur.* Ex quibus verbis & id patet, auctoritatem Adver-siorum nullam fuisse, quod, ex sequentibus, maxime, inno-te-scit,

(r) *I. c. tom. II. cap. XXI. p. m. 144.* (s) *pro Q. Roscio Comoedo, Orat. III.*

scit, quando *Cicero*, neminem adversaria, in judicium, protulisse, commemorat. Utilitate, tamen, prorsus, non destituebantur, quum, ad *Codices*, recte formandos, multum contulerint. Distinguebantur, codices illi, in varia *capita*, vel, uti *Ciceroni* vocantur, *nomina*, *utpote*, *artificii*, *negotiationum*, *foenoris*, *adventitiorum*, *legatorum*, *hereditatum*, *peculii*, *munerum*, *repetundarum*, aliarumque rerum. Simul atque, igitur, aliquam pecuniam acceperant, in caput hoc, vel illud, aut, *Ciceronio* loquendi modo, huic, vel illi, nomini eadem, acceptam; si expenderant, expensam, referebant, hasque rationes, quam diu vivebant, continuabant, unde &, illae tabulae, perpetuae, & aeternae, dicebantur. Utramque relationem, & in tabulas accepti, & in tabulas expensi, testimonio quodam, illustrabimus. De illa, *SVENTONIVS* (t) loquitur, quando, de Tiberio, ab Augusto adoptato, refert, ipsum neque donasse, neque manumissee, ne hereditatem, quidem, aut legata percepisse ulla, aliter, quam, ut peculio referret accepta; cui *CICERO* (u) jungendus, qui, se, amplius festertium ducenties, acceptum hereditatisbus, retulisse, contendit. Hanc, relationem, scilicet, in tabulas expensi, idem *CICERO*, alio in loco (x), declarat, scribens: Atticum sibi pergratum fecisse, quod Serapionis librum ad se miserit, pro quo, praesentem pecuniam solvi, imperaverit, ne expensum muneribus ferret. Talis, itaque, modus erat, accepta, & expensa, in tabulas referendi, quod, quia Censores, quum urbem lustrarent, patres fam., de fide illarum tabularum, iusjurandum interponere jubebant, tanto studio, atque candore, fiebat, ut tabulis accepti, & expensi, vis, in judiciis, probandi, tribueretur. Orta, enim, in primis, de debitis, lite, rei, interdum, tabulas edere cogebantur, ut, deinde, ex suis ipsismet tabulis, condemnarentur. Hinc, rei omnem impendebant operam, ut vel tabulas abolerent, vel, se nullas confessisse, mentirentur, vel, tandem, quoquo modo, exhibitionem

F tabula-

(t) *Lib. III. cap. 15.* (u) *Philipp. II.* (x) *Lib. II. ad Atticum epist. 4.*

tabularum impeditent. Ita CICERO (y) ait, C. Fannium conquestum de se esse, quod, nimium cito, indaget de tabulis; Verrem, vero (z), hac excusatione usum, se, tantum, usque ad M. Terentium, & C. Cassium, Coss., tabulas confecisse. Quamvis, autem, summa fide, tabulae illae conscriberentur, apud singulos, tamen, non prorsus, ab omni fraude, immunes erant, cuius causa, Cicero non recusat, quo minus, secundum C. Fannii tabulas, suo arbitratu, in suam rem, scriptas, ille judicetur.

§. XVII. Aliarum, ejusdem, fere, nominis, tabularum, dati, scilicet, & expensi, ab ipsis, quas explicavimus, distinctarum, HOFFMANNVS (a) mentionem facit, quarum naturam, ex Asconio, exponit. Sed, ne, praeter necessitatem, res multiplicemus, quum, quae, apud ASCONIVM, & SIGONIVM (b), de, dati, & expensi, tabulis dicuntur, eadem, prorsus sint, quae Auctores de tabulis, accepti, & expensi, tradunt, &, praeterea, a Sigonio, loca quaedam citentur, quae alii, ad, accepti, & expensi, tabulas referunt, non temere nos facturos, existimamus, si, utrasque vix, vel plane non, inter se, differre, sentiamus. Aliter, de tabulis mensae, judicandum, quae, quidem, non multum, aliquantum, tamen, a tabulis, accepti, & expensi, distinctae erant, in eo, scilicet, quod non a quovis, sed a Trapezitis, vel Argentariis, solum conficerentur. Quando, enim, creditores, pecuniam, quam aliis concedebant, non ipsi numerabant, sed id, per Trapezitam, fieri curabant, pecunia illa, ex mensa, data dicebatur, &, hunc in modum, ab Argentario, in rationes suas referebatur: *se nomine, & jussu, Titii, Sempronio tantam pecuniam numerasse*, quod, si, postea, Titius, vel Sempronius, negaret, ex suis tabellis probare poterat. Sic, itaque, & tabulae mensae, in plerisque, cum tabulis, accepti, & expensi, conveniebant, dabantur, tamen, adhuc aliae, quae, re ipsa quidem,

(y) pro L. Roscio Comoedo, Orat. III. (z) in Verrem, lib. I. Orat. de legatione ejus. (a) Lexico univ. tom. IV. f. 333. (b) de Judiciis, lib. II. cap. 16. apud Graevium, tom. II. p. 1757.

dem, ab ipsis differebant, sed, conficiendi modo, non inter se discrepabant. Sunt illae *Annales domèstici*, seu rerum privatrum, quae in *Annales diei*, & *noctis*, distinguebantur. *Annales diei Ephemerides*, seu *diurna*, dicebantur, quorum *IUVENALIS* (c), his verbis, mentionem facit:

*Et caedens longi relegit transacta diurni.*

In hos omnia, quae cuique, hoc, vel illo, die, acciderant, conscribantur, uti ex CICERONE (d) constat, qui, de Quintio, ita loquitur: *Discedens, in memoriam rediit Quintius, quo die Roma, in Galliam profectus sit: ad ephemeridem revertitur: inventitur dies profectionis, pridie Calend. Februarii. Epinyctides*, autem, commentarii rerum nocturnarum erant, quae *nocturna*, ut *Ephemerides, diurna*, nominari possunt.

§. XIX. Non minor, etiam, apud veteres, in ineundis pactis, quam in acceptis, expensis, & rebus domesticis, consignandis, à xp̄ibetū adhibebatur. Quando, igitur, de aliqua re, inter se, paciscebantur, pactum illud in tabulas referebant, easdemque, ne mutari possent, obsignabant; imo, ut omnis, prorsus, occasio, illas innovandi, tolleretur, tabulas pactionales tertio cuidam tradebant, negotiumque, si necessitas rei ita postulabat, aliis, adhuc, committebant, uti ex DEMOSTHENE (e) liquet, qui, homines, rei gñaros, testatos esse, depositam pactionem, apud Aristoclem, negotiumque, Phocrito, & Aristocli, & sibi, commissum fuisse, hunc in modum, refert: "Οτι μὲν ἐτέθησαν αἱ συνθῆκαι παρὰ ἀριστολέη, καὶ οὐ ἐπιτροπὴ ἐγένετο Φωνεῖτω, καὶ ἀριστολέη, καὶ ἔμοι, οἱ εἰδότες τὰυτα μεμαρτυρήκουσιν υμῖν. In tanta, itaque, circumspectione, artis erat, rimas elaborandi invenire, quod, nihilominus, quandoque & hic, fiebat, cuius rei exemplum, Demosthenes, eodem in loco, nobis exhibet, dum de Aristocle refert, initio ipsum promisisse, se pactionem prolatarum, deinde, vero, praetexuisse, puerum, quem se is expectaret, dormientem, tabulas amisisse. Denique, si,

F 2 breviter,

(c) *Satyræ VI.* (d) *Pro P. Quintio.* (e) *Orat. adversus Apaturium.*

breviter, totam rem, de tabulis pactionalibus, comprehendere velimus, id non melius, quam ejusdem *Demosthenis* verbis, praestabimus. "Οτι πάντες ἀνθρώποι, inquit ille, ὅταν πρὸς αλλήλους ποιῶντας συγγραφάς, τέττας ἔνεισι σημηνομένοι τιθέντοι παιόνις, ἐὰν πισένωσιν. οὐ ἔσιν τι ἀντιλέγωσιν ἑαυτοῖς, ἐποιέλθωσιν ἐπὶ τὰ γράμματα, ἐντεῦθεν τὸν ἐλεγχὸν ποιήσασθαι περὶ τὰς αὐτοφισβητημένας. ὅταν δὲ φανιστας τις ταῖλιθες, λόγω ἐξαπατᾶν τεργάταν, πῶς ἀν δικαιῶς πισεύσται. quae, ex interpretatione Hieron. Wolfi, ita redduntur: *Omnes homines, cum tabulas inter se consciunt, propterea obsignatas, apud eos, deponere, quibus fidem babeant, ut, si quae dissensio, ipsos inter, extiterit, ad tabulas reversi; controversiarum explicationem inde petant.* Si quis, autem, tabulis abolitis, eludere veritatem, verbis, studuerit, quid illi fidei est babendum? Ex his & illud conjicere licet, *Syngrapharum tabulas, cum pactionalibus, aut easdem, aut non multum distinctas, fuisse.* Continebant hae cautionem, &c, vel manu eorum, inter quos conveniebat, vel a tabellione publico, scribebantur. Illud, ex istis *PLAVTI* (f), constat:

*Agedum, istum ostende, quem conscripsisti, syngraphum,  
Inter me, & amicam, & laenam, leges perlege.*

Hoc, vero, ex istis, quae, de tabulariis, diximus, innotescit. Scriptis syngraphis, a testibus iisdem, subscribebatur, a quibus & observabantur, atque, ab utroque contrahentium, apud amicum, vel mensarium, uti pactionales, deponebantur, ut, si quid controversiae oriretur, ex tabulis, deinde, dirimeretur. A *syngrapharum tabulis, chirographa*, tanquam privata, a publicis, discrepabant, quae, propria manu, scribebantur, non, tamen, obsignabantur. Differentiam, optime, *ASCONIVS* (g) dabit: *Inter syngraphas, inquit, & caetera chirographa, hoc interest, quod in caeteris tantum, quae gesta sunt, scribi solent; in syngraphis, etiam,*

(f) *Afin. abt. IV. scena I.* (g) *in Ciceron. Verrinam, de praecura urbana.*

etiam, contra fidem veritatis, pactio, venit, & non numerata, quoque, pecunia, aut, non integre, numerata, pro temporaria voluntate hominum, scribi solet, more, institutoque, Graecorum: Et caeterae tabulae, ab una parte, servari solent: Syngraphae, signatae utriusque manu, utrique parti servandae traduntur. Valdius, hinc, syngraphae debitores obstringebant, quam chirographa, quare, etiam, actores in illas, frequentius, quam in haec, inquirebant, easdemque, ne corrumperentur, ad Praetorem deferebant.

§. XIX. Pacti speciem, tabulae dotaes, seu nuptiales, habebant, in quibus dos scribebatur, qua indicata, solemnique stipulatione interposita, eadem signabantur, atque neonymphis, Feliciter, acclamabatur, quod ex his *Iuvenalis* verbis patet:

*Signatae tabulae, dictum feliciter.*

Hoc, itaque, modo, nuptiac firmabantur, contra, vero, fractis tabulis dotalibus, eadem dissolvebantur. Simile quid, etiam, extra conjugium, in illicitis amoribus, observabatur. Proci, enim, ad amasias, & hae ad illos, tabulas mittebant, quare & HORATIVS (h) anum foetidam ita perstringit:

*Munera cur mibi, quidam tabellas*

*Mittis*

Ne, vero, a quovis agnosceretur, quid, in istiusmodi amorum tabulis, scriptum esset, furtivas literarum notas adhibebant, atque sic amores, eo felicius, occultabant. Quandoque, etiam, eo impudentiae procedebant, ut istis tabulis vim pacti tribuerent, siquidem, AESCHINES (i), ita loquentem, scorti condutorem introducit: Εμιθωσάμην, ὡς ἀθηναῖοι, τίμαιον ἔτου-  
γενέν ἐμαυτῷ κατὰ τὸ γραμμάτιον, τὸ παρὰ δημοσίεναι κέμε-  
νον, (ἢδὲν γάρ κωλύει επως εἰρῆθαι) οὐδὲν ποιεὶ μοι τὰ ωμο-  
λογημένα. i. e. *Conduxi, Atbeniensis, Timarchum, ut meum scortum* efficeret, ex tabula, quae sita est apud Demosthenem, (nihil, enim, probibet ita dici) neque, vero, ille stat pactis. Porro, condu-

F 3

ctum,

(h) *Epopon. lib. Ode XII.* (i) *Orat. contra Timarchum.*

ctum, ita loqui, singit: "Ανδρες δικαιοι, εμφωσιτο με εται-  
ρειν αυτω φεγγεις, οηις διποτ' εν, (εδεν γαρ διαφέρει, ετως ε-  
ρηθαι) ιηγω μεν απαντα και πεποιηκαι, και ετι και νυν ποιω,  
καται το γραμματιου δι χρη ποιειν τον εταιρειται, quod,  
hunc in modum, Hieron. Wolfsus reddit: *Conduxit me, judices,*  
*ad libidinem, pecunia sua, quicunque sit, (nihil, enim, interest,*  
*si ita dicatur) ac ego omnia & feci, & adhuc facio, ut tabulae ju-*  
*bent, quae scorto sunt facienda.*

§. XX. Sed, mittamus has tabulas, nostra tractatione, pror-  
sus, indignas: ad honestiores, quales *testamentorum* fuerunt,  
nos convertamus. Hae celebres, admodum, apud antiquos,  
communissime, ceratae erant, quamvis & alia quaecunque ma-  
teria, ad testamenta, adhibita, tabularum nomine veniret.  
Quum, autem, plerumque, totum testamentum, non una ta-  
bula, absolveretur, omnes, in certas ceras, distinguebantur,  
ita, ut mox *primam*, mox *medianam*, mox *ultimam*, *ceram* alle-  
garent, quo loquendi genere *primam*, *medianam*, *ultimamque*,  
partem, seu tabulam, testamenti significabant. Huc, illud SVE-  
TONII (k), pertinet, quando, de Iulio Caesare, tradit, eum, no-  
vissimo testamento, tres instituisse heredes, sororum nepotes,  
C. Octavium, ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium, ex  
quadrante reliquo; in ima cera, C. Octavium, etiam, in fami-  
liam, nomenque, adoptasse. Quamprimum *testamentorum*  
tabulae perfectae erant, obsignabantur, licet, a quibus id fa-  
ctum sit, inter Antiquarios, adhuc, lis sit. Illi, interim, pro-  
cul dubio, veriorem sequuntur sententiam, qui, non servos pu-  
blicos, seu tabularios, sed nobiles, potius, &, speciatim, septem  
testes, testamenta obsignasse, asserunt, quod, pree reliquis, uti  
jamjam, quum de *tabulariis* ageremus, monuimus, MARC. DO-  
NATVS (l), *testimoniiis auctorum*, comprobavit. Obsignatis te-  
stamenti tabulis, illae alicui aservandae dabantur. Ita, enim,  
ipse *Iulus Caesar*, *testamentum suum*, *virgini Vestali*, *maximae*,  
deman-

(k) lib. I. c. 83. (l) Dilucid. in T. Livii lib. XLIII.

demandaverat, quod & *Augustus*, Successor ejus, postea fecit. Si, vero, testamentum non, speciatim, certae personae commendabatur, plerumque, in aede sacra, illud deponebatur, ac tam diu, ibidem, aſſervabatur, usque dum ille, qui testamentum confecerat, moreretur, quo facto, idem aperiebatur, & executioni dabatur. Uti, autem, testes, ad testamenta confiencia; ita, etiam, in aliis rebus, adhibebantur, qui provocati, tabulis, testimonium ferebant. Describit tabulas illas DEMO-  
STHENES (m), & quidem, pro ratione rei, de qua testimonium dicebatur. Illis, enim, qui res factas testificabantur, conveniebat, confecta testimonia, domo, afferre; eos, vero, qui de provocationibus testificabantur, fortuito, adstantes, testimonium ceratis inscribere oportebat. Illae, enim, quae, hoc in casu, vel domi conficiebantur, vel candidatae erant, falsi testimoniū suspectae habebantur.

§. XXI. Tabulis privatis, quae, in quibusdam, cum publicis convenient, annexandae sunt, *auctionariae*, quarum QVINCTILIANVS (n) meminit, quando ita scribit: *Hortensius, auctione dimissa, quod cuique vendidissent, testibus argumentorum tabulis, reddidit*. Proponebantur, ab Argentariis, & propalami collocabantur, ut res, quarum auctio futura esset, in istis tabulis, prescriptae, ab omnibus cognoscerentur. Quo facto, auctionisque die constituto, res, sub hasta positae, distrahebantur, vocique praeconis subjeciebantur, &, plurimum, licitanti cedebant, quod, si rem immobilem spectemus, verba Iustiniani, Latine facta, & a IVN. RABIRIO (o), qui, si plura de auctionibus, & hastis, desiderentur, conferendus est, adducta, testantur, quae hunc in modum informata sunt: *Aere alieno oppressae venerabilis domus dispensatores, per viginti dies, scriptum aliquod, in publico civitatis loco, proponunto, &, eo modo, rem immobilem emere volentes, provocanto, ut, qui plus præbiturus est, caeteris præferatur.*

§. XXII.

(m) *Orat. poster. adversus Stephanum, testem.* (n) *Lib. XI.* (o) *de Hastarum, & Auctionum, origine, apud Graev. Tom. III. p. 31.*

§. XXII. Restant, ex tabulis, privatae, quae vix aliquam, vel nullam, cum publicis, convenientiam habent. Inter has, frequentissimae sunt, *tabulae epistolares*, in quibus, epistolarum alloquia, scribebantur, quarum portatores *tabularii*, seu *tabellarit*, dicebantur. Conficiebantur, inducta cera, e fago, buxo, abiete, tilia, aliisque lignis, literaeque *stylo*, cuius superior pars obtusa, ac plana, inferior, autem, acuminata, erat, insculpebantur, ac obducebantur, quae omnia, de *stylo*, sequens *Symposii* aenigma, in se comprehendit:

*De summo planus, sed non ego planus ab imo,  
Versor utrinque manu, diverso, ast, munere fungor:  
Altera pars revocat, quicquid pars altera fecit.*

Quo, autem, & id, quod in literis scribebatur, occultaretur, & eadem, ne, forsan, deleantur, facilius, custodirentur, signum imprimebatur cereae, lino impositae, quo, perforato, illae constringebantur. Iстiusmodи tabularum species, *literae laureatae*, erant, quas, ut hic, prolixo, exponamus, supervacaneum videatur, quem id, longe felicius, quam vires nostrae, unquam, admitterent, *Celeberrimus noster*, & *rerum antiquarum peritissimus*, BERGERVS (p), dudum, praestiterit. Ne, tamen, rem prorsus intactam relinquamus, duce eodem, monuisse sufficiat, istas, ab aliis literis privatis, non nisi *lauro*, distinctas fuisse, a qua, etiam, nomen acceperunt, quamvis & passim, apud Autatores, commutata dicendi ratione, *literae victrices*, *magnificaе*, *chartae victrices*, *epistolaeque victoris*, dicantur. Laurus illa in epistola figebatur, vel, si regiones laurum non ferrent, vel literae, eo tempore, expediendae essent, quo, lauri requirendae, facultas non daretur, saltem pingebatur. Ratio, vero, quare laurus istis literis adderetur, erat, quod res militiae, & fortis, bene gesta, iisdem exponebatur, cuius rei laurus, PLINIO (q) teste, nuncia habebatur. Illi, per quos, literae laureatae, curabantur, *tabellarii milites*, & Graece, γεωμετροφόροι, seu

(p) *peculiaris, de Literis laureatis, dissertatione.* (q) *Lib. XV. c. 30.*

*οὐγελαφόροι* vocabantur, &, a *speculatoribus*, distinguebantur, quamvis, & ab his, tales literas allatas fuisse, multi statuant. Sicuti, vero, ipsae literae, ita, etiam, summa pila militum, qui eas portabant, lauro ornata erant, qua ratione, a πτεροφόροις, qui triflia nunciabant, & pinnas, saltē, in summō hastarum, fixas habebant, eo melius, discriminabantur. Magna, interim, celeritate, res peragebatur, quo hi nuncii famam antecederent, primique rem gestam nunciarent, cui celeritati, praeter diligentiam, expeditamque nunciorum profectionem, in primis, viae Romanorum publicae inserviebant. Tandem, absolutis omnibus, laurus, ex literis, detracta, in gremio Iovis, Capitolini, deponebatur, quia hic arbiter victoriae, auctorque, ducebatur; de quibus omnibus, antea commemoratus, *Celeberimus BERGERVS*, plura suppeditabit.

§. XXIII. Non, autem, Imperatores, tantum, per tabulas, victoriam, ab hostibus reportatam, nunciabant, verum, etiam, quando *vota* solvebant, *tabula* utebantur. Moris, enim, apud Gentiles, olim, erat, ut, quum vota, quaecunque, solverentur, etiam, ejus rei causa, tabulae figerentur. Non, enim, satis erat, vota polliceri, sed attestatio, & inscriptio voti, requirerabatur. Talem inscriptionem *LAVRENTIVS BEYERLINCK* (r) exhibet, quae ita se habet: *Sulpitius Camerinus, Magister Collegii, fratrum arvalium nomine, vota nuncupavit, pro salute Neronis Claudi, D. Claudi, Filii Germanici, Caesaris: N. Tib. Caes. Aug. pro D. 7. Cos. 4. & Octaviae, Conjugis, victimis immolatis, in Capitolio, quae, superioris anni, Magistri voverant, persolvit, &, in proximum annum, nuncupavit, praeceunte, M. Antonio Saturnino, Iovi, boves mares II. Iunoni, Vaccas II. Minervae, Vaccas II. Saluti publicae, Vaccas II. Divo Claudio, bov. mares II. In Collegio adfuere Sulpitius Camerinus, Magister, A. Vitellius, L. Piso L. F. M. Apponius Saturninus. P. Meminius Regulus, L. Salvius Otho Titianus. Figebantur, vero, tabulae votivae, ab istis, qui*

G

vel

(r) *Theatro vitae bim. tom. VII. part. altera, fol. 6.*

vel sanitatem recuperaverant, vel victoriam, de hostibus, reportaverant, vel, ex alio periculo, erepti, aut magna felicitate affecti, erant. Ita Sulla, apud VELL. PATERCVLVM (f), superato, felici eventu, Scipione, Norbanoque Coss. grates Diana, cui regio illa sacra erat, solvit, aquas, salubritate, mendisque corporibus, nobiles, agros omnes, adduxit Deae, cuius gratae religionis memoriam, postea, inscriptio, & *aerea tabula*, templi affixa posti, conservabat. Et, quod mirum, Hoffmanno teste, Ephesinum templum, pretiosissimum alias, istiusmodi tabulis votivis, remedia continentibus, quibus hic, vel ille, a morbo liberatus erat, non minus, quam structurae magnificentia, celebre fuisse, legitur. Ceterum, peculiaribus in locis, hae tabulae collocabantur. Appendebantur, enim, *portis*, unde PROPERTIVS (t) ita canit:

*Omnibus, heu! portis, pendent mea noxia vota:  
Textur haec, castris, quarta lacerna, tuis.*

Item:

*Armaque cum tulero, portae, votiva, Capenae,  
Subscribam salvo: grata puella, viro.*

Affigebantur, etiam, vota, ceratis tabulis inscripta, Deorum genibus, quod IVVENALIS (u) testatur, dum ait:

*Propter quae fas est, genua incerare Deorum.*

Tandem, & de columnis, parietibus, templorum, quemadmodum, de Ephesino, audivimus, ipsisque fastigii, suspendebantur. Sub Imperatoribus, quoque, αγαλματια, simulacra, & sigilla, cudebantur, quibus vota, pro quinquenniis Principum, decenniisque, signabantur.

§. XXIV. Votivarum tabularum species, *tabulae naufragii*, erant, quas, ideo, reliquis jungere noluimus, quia non propter vota, solum, sed, etiam, ob aliam causam, mox exponendam, conficiebantur. Adornabant illas, qui naufragium passi erant, &, feliciter, ex undis, emerserant, ac *Istdi*, aliisque *Diis*, maxi-

me,  
(f) lib. II. c. 25. (t) lib. 4. epist. Aretusae, ad Lycotam. (u) Satyra X. v. 55.

me, tamen, Neptuno, consecrabant. His Diis tabulas naufragii,  
vel, de parietibus templorum, quod, ex illo TIBULLI (x), patet:

*Nunc, Dea, nunc, succurre mibi: nam posse mederi*

*Picta, docet, templis, multa tabella, tuis.*

vel, etiam, de arboribus, huic, vel illi, Deo sacris, suspendebant,  
quorsum sequentia, VIRGILII (y), verba faciunt:

*Forte sacer Fauni, foliis, oleaster, amaris*

*Hic steterat, nautis, olim, venerabile signum:*

*Servati, ex undis, ubi figere dona solebant*

*Laurenti divo, & votas suspendere vestes.*

Ex quibus id, simul, innoteſcitur, non, tantum, tabulas naufragii,  
in quibus periculum, quod naufragi, feliciter, superaverant, de-  
scriptum erat, verum, etiam, dona, quæ periclitantes voverant,  
ibidem, appensa fuſſe, ut, hac ratione, naufragi, utroque, testa-  
rentur, quanto Deorum beneficio, in præsentissimo mortis pe-  
riculo, sint servati. Neque, tamen, voti causa, tantum, uti,  
jam, ab initio paragraphi, monuimus, hæ naufragii tabulae con-  
ſiciebantur, sed illi, qui tenuioris fortis erant, quique merces  
suas perdidérant, suspensa, de collo, tabula, effigie sui infortu-  
nii, alios, ad misericordiam, commovere tentabant, ut, hac ra-  
tione, ab opulentioribus faltem, stipem obtinerent, qua, ali-  
quantulum, damnum suum resarcire possent. Sic, enim, PER-  
SIUS (z), ait:

*Cantet si naufragus, affem  
Protulerim? cantas cum fracta te in trabe pictum*

*Ex humero portes:*

& IUVENALIS (a):

*Mersa rate, naufragus affem*

*Dum rogat, & picta se tempeſtate tuetur.*

§. XXV. Reperiuntur, etiam, in antiquitate, tabulae, quæ  
infortunium aliquod praefagiebant, quarum auctores, ple-  
rumque, ignorabantur. Celebris, hanc in rem, est, tabula, a

TRANQVILLO (b) *descripta, qua Caesari caedes denunciabatur.*  
 Cum, enim, paucos ante menses, in Colonia Capua, deducti,  
 lege Iulia, coloni, ad extruendas villas, sepulchra vetustissima  
 disjicerent, idque, eo studiosius, facerent, quod aliquantum va-  
 sculorum, operis antiqui, scrutantes reperiebant, in monumen-  
 to quodam, in quo Capys, conditor Capuæ, sepultus diceba-  
 tur, *tabula aenea inventa est, conscripta literis, verbisque, Grae-  
 cis, hac sententia: Quandoque ossa Capyis detecta essent, fore,  
 ut, Iulo prognatus, manu consanguineorum, necaretur, magnisque,  
 mox, Italiae cladibus vindicaretur.* Quod, ne quis in dubium  
 vocaret, ipse S VETONIUS auctorem hujus rei, nempe Corne-  
 lium Balbum, familiarissimum Caesaris, commemorat, quo, ta-  
 men, negotium nondum conficitur, quum varia codicum lec-  
 tio, animum, adhuc, suspensum, relinquat. TORRENTIUS,  
 (c), namque, librum aliquem adducit, qui, *fore, ut Ilio prognatus,*  
 pro *Iulo*, aut *Iulio*, habet, quae lectio tanti, apud ipsum est, ut,  
 totam tabulae inscriptionem Iulium Caesarem non respicere,  
 existimet, cui, tamen, CASAUBONUS (d) repugnat, quando,  
 in Memmiani Lectione, *ut Ilo prog. nihil mutandum censem, eo,*  
 quod Iulius Caesar auctorem, generis sui, *Iulum, Aeneae filium,*  
 fecerit. Longe evidenter, hic, videtur illa tabula, cuius CEDRENUS (e) mentionem facit, occasione diluvii Scirti amnis, quod  
 magnam, atque celebrem, urbem, Edesam, anno septimo, impe-  
 rii Iustini, ita affixit, ut domus, una cum inhabitantibus, abri-  
 perentur, & submergerentur. Diluvio, autem, finito, in ripa  
 amnis, *tabula lapidea* reperiebatur, hac inscriptione, hierogly-  
 phicis literis, concepta, casum illum praedicens: Σιρτος ποταμος σιρτίσει καινοι σιρτήμοιτα πολίταις, *Scirtus amnis, malo  
 civium, saltabit;* qua inscriptione nomen amnis respicitur, quod,  
 Graeco idiomate, ad *saltationem* alludit. Similis ratio est *ta-  
 bulae plumbeae, quam, ex Gregorii Historia, Scriptor Galli-*  
*CUS*

(b) Lib. I. c. 81. (c) Notis, ad hunc Sveton. locum. (d) Notis, ad  
 eund. loc. (e) Compend. Hist. tom. I. fol. 305.

cus (f), exponit, Parisiis, in canali, in quem fordes urbis confluunt, sub ponticulo, meridiem versus, repertae. In hac insculpta conspiciebatur *flamma ignis, serpens, & mus major aquaticus*. Quamprimum, itaque, haec tabula protrahebatur, incendia, variis in locis, oriebantur, serpentesque, & mures majores aquatici, ita incolas affligebant, ut, etiam, domus suas relinquerent cogerentur. Quamprimum, vero, animadverteretur, unde eadem extracta esset, omnes haec molestiae cessarunt, neque notabilis quaedam vastatio, in urbe Parisiorum, post illa tempora, contigit, adeo, ut, Auctor citatus, eandem, quoad immunitatem, ab incendiis, reliquis omnibus, in toto terrarum orbe, his verbis, praferat: *Car sans parler des Rats d'eau, et des serpens, dont on ne s'est jamais aperceu, le feu prend si rarement, et l'on voit si peu d'incendies considerables, que l'ont peu dire, qu'il n'est point de Ville au monde, qui en reçoive moins de perte, & de dommage, que Paris;* quamvis, nuper admodum, experientia testis fuerit, nec Parisiorum urbem, ab istiusmodi infortuniis, immunem esse. Ut, autem, tragicci casus, tabulis, quandoque, annunciantur, ita, pariter, in interpretandis somniis, futurorum malorum, interdum, notis, tabulae adhibebantur. Sic PLUTARCHUS (g), de Aristidis posteris agens, commemorat, Phalereum, in Socrate, referre, se cognovisse, inter Aristidis nepotes, ex filia, oppido pauperem, Lysimachum, qui, juxta locum, Iacheum alias dictum, sedens, vitam, interpretandis, ex tabula quadam, somniis toleraret.

§. XXVI. Moris, etiam, apud veteres, erat, in conviviis, accumbentibus tabulam, in qua fercula, apponenda, consignata erant, exhibere, quo quisque, pro gustu suo, quicquid libuerit, eligere posset. Facit hujus tabulae mentionem ATHENAEUS, (h), qui ita scribit: "Οτι εθος ήν εν τοις δειπνοις, τῷ ἐσιάτῳ

G 3

κατα-

(f) *Vid. Description Nouvelle de ce qu'il y a de plus remarquable dans la ville de Paris tom. I. f. 6.* (g) *OO. tom. I. in Aristid. f. m. 335.* (h) *Deipnosophist. lib. II. f. 49. edit. juxta recens. Casauboni.*

κατακλινθέντι προσίδοφαι γεωμετριῶν τι, περιέχου ἀναγραφὴν τῶν παιχεούσευσμένων, εἴφ' ὡς εἶδέναι, οὐ, τι μέλλοι ὅψου Φέρεν ὁ μάνγειρος. In coenis, prisco more, convivatori, postquam accubuissest, tabella, in qua, omnium ferulorum, nomina descripta erant, tradebatur, ut sciret ille, quodnam obsonium coquus esset allatus. Dabantur & tabulae, quibus juventus instituebatur, nudae, simplices, aliisque crassiores, quod ex illo PLAUTI (i) patet :

Extemplo puer Paedagogo tabula dirumpit caput;  
id, enim, tenuis tabula efficere non potuisset. Huc, etiam, referre licebit tabulam R. Gamalielis, quae phases lunae, ad insituendos rudiores, exhibebat, uti sequens MISCHNA (k) rem declarat : דמות צורת לבנות היז לו לרבן גמליאל בטבלת ובכורות בעלייתו שכחן מראה את החזרות ואומר הכתוב פases lunae babuit R. Gamaliel in tabula, in pariete conclavis sui, quas idiotis ostendebat, deinde interrogabat: an lunam, ita, vel ita, vidisti? Disputant, de illa, R. Gamalielis, tabula, Gemaristae, an id facere licitum fuerit, nec ne? &, quomodo id, de Gamaliel, sit intelligendum, quando Mischna dicit, ipsum phases lunae, in tabula, habuisse: Sic, enim, Gemara: ומי שרו והכתב לא תעשן וגנו Et quid an hoc concessum est, (sc. phases lunae habere) nam scribitur: (Exod. XX, 20.) Non facietis, &c. Argumenta, vero, quae contra R. Gamaliel, & pro eodem, faciunt, bono ordine, HOUTINGIUS (l) adducit. Contra Gamaliel esse videtur locus, Exod. XX, 20., aliaque, & in Exodus, & in Deuteronomio, observata, quibus & hanc legem Mischnicam (m) addimus : המוציא כלים לעיריהם צורה חמה צורת לבנה צורת דרכון וולקם ליט: Si quis invenerit vasa, in quibus exsculpta forma solis, lunae, aut draconis, ea projecto in mare salsum. Pro Gamaliel, ex mente

(i) Bachide actu III. scen. III. v. 37. (k) Seder Mo'ed Massech. Rosch baschanā cap. II. n. 8. (l) Notis ad hanc Mischnam. (m) Seder Nefškin Massech. Avoda Sarā cap. 3. n. 3.

דָאַחֲרֵי שְׁנָיו לֹן רְאַתְהָן  
ex mente nonnullorum, haec ratio militat : **דָאַחֲרֵי שְׁנָיו לֹן רְאַתְהָן**  
quia alieni eas fecerunt. Sed, merito, Houtingius, hanc solutio-  
nem frivolam, & nullius momenti, esse, existimat; qua non me-  
lior est illa, quando alii dicunt, quod tantum פֶּרְקִיעַ, fra-  
gmenta, fuerint, quae, simul composita, lunam integrum effe-  
cerint. Optima ratio illa videtur, quam, alii, adhuc, Rabbini,  
reddunt, Gamaliel tales formas, & figuræ, tantum, ad do-  
cendum, habuisse. Scribitur, enim, לא תלמר לעשות אברך :  
Non ad faciendum disces, ad in-  
telligendum, & alios docendum, licitum est. Quibus, simul, di-  
ctum, a Gemarissis adductum, limitatur, quum DEVS, non ima-  
ginem quamcunque, sed talem, quae ipsi honore, adoratione-  
que, similis esse deberet, facere prohibuerit. Quare, & ipsi  
Rabbini, Maimonides, & Bartenora, commemoratam legem Mi-  
schnicam, ita, emolliunt, ut, non de quoconque circulo, quem  
aliquis invenerit, &, speciem solis, vel lunæ, præ se ferre, ex-  
istimaverit, sit intelligenda, sed de imaginibus, & figuris, טלאסם  
vocatis, quas, Astrologi, soli, & lunæ, attribuunt, quando, ni-  
mirum, dicunt, Saturni figuram, esse figuram senis nigri, Vene-  
ris, autem, figuram esse virginis pulchrae, cum armillis aureis,  
Solis, vero, figuram esse regis coronati, currui insidentis.

§. XXVII. Missa R. Gamalielis tabula, ad antiquorum mo-  
res redeamus, quumque, hactenus, a nobis, tabulae privatae,  
explicatae sint, locum, in quo eaedem, domi, asservatae fue-  
runt, paucis, nunc, investigabimus. Vocabatur ille tablinum,  
ut, eo melius, a tabulario, tanquam privatus, a publico, distin-  
gveretur, quamvis, ad hujus exemplum, penitus, confectus es-  
set. Nempe, uti aedes Libertatis, quae, in Aventino monte, si-  
ta erat, in atrio, tabularium habebat; ita, quoque, in aedibus  
privatis, pro tabulis, in atrio, locus quidam adaptatus erat, cu-  
jus spatio, si atrii latitudo viginti pedum erat, demta tertia, re-  
liquum tribuebatur. In haec, itaque, tabina, omnes, quae ad  
rem familiarem faciebant, tabulae referebantur, & omnia in-  
strumen-

strumenta, nomina, Calendaria, fundorumque emtiones, ordine, reponebantur, ut, suo tempore, si hoc, vel illo, instrumento, patrifamilias opus esset, illud mox produci posset.

§. XXIX. Hæc erat veterum cura, & diligentia, in tabulis scriptis conficiendis, ac recondendis, quae, tamen, & ad pictas, sub quibus & sculptas comprehendimus, se extendebat. Illum, autem, tanta copia reperiebatur, ut, hic, vel species, saltem, omnes, pictarum tabularum, attingere, difficile esset. Sufficiet, itaque, si potiores, aliquantulum saltem, illustremus. Celebriores, & ubivis, fere, obviae erant *imagines*, vel *cereae*, vel *aeneae*, vel *marmoreae*, quae, ex POLYBIO (n), ita describuntur, quod, nimirum, sint *insignium* quorundam virorum simulacra, oris similitudinem, artificiose, effictam, coloribus, pigmentisque, adumbratam, referentia, quae in *insigniori*, & celebriori, domus parte, ligneo armario includebantur. Ius imaginum, apud Romanos, in primis, quod, ex ROSINO (o), constat, non *Ignobiles*, sed *Nobiles*, & *Novi*, diverso, tamen, modo habebant. *Nobiles*, enim, & suis, & majorum suorum, imaginibus superbiebant; *Novi*, vero, tantum suis utebantur. Ceterum, festis diebus, illæ exornabantur, sique, ex domesticis, quispiam mortuus esset, eadem, in funere, efferebantur, aliis, adhuc, pro dignitate familie, caeremoniis adhibitis. Iungebantur, quandoque, imaginibus, illis, nimirum, quas clientes patronis suis dedicabant, tabulae patronatus, seu paginae honorum, uti, ex mente veteris *Interprettis*, IUVENALIS (p), vocantur, cuius verba ita sonant:

- - - *mergit longa, atque insignis, honorum*

*Pagina*

Uti, enim, effigies majorum, cum titulis suis, in prima aedium parte, ponebantur; ita, etiam, clientes, imaginibus, Patronorum suorum, aeneam tabulam erigebant, quae, omnes eorum gradus honorum, scriptos, continebat. Repraesentabant, etiam, veteres, in

tabulis,

(n) lib. VI. (o) *Antiquit. Rom.* lib. I. c. 19. (p) *Sat. X.* v. 57. 58.

tabulis, *victorias*, ab hostibus reportatas, quod CAPITOLINUS, (q) Maximini Senioris, & AURELIUS VICTOR (r) Lucii, exemplis illustrant. Ille, *Maximinus*, jussicerat bellum, Germanicum scilicet, in quo victor evaserat, ita pingi, ut gestum erat, &, ante curiam, proponi, quo ipsius facta pictura loqueretur: Sed, post mortem ejus, Senatus tabulas illas deponi, & exuri, curavit. Hic, *Lucius Paullus Aemilius*, filius illius, qui, apud Cannas, cecidit, quem, primo consulatu, quem, difficulter, consecutus erat, de Liguribus, triumphasset, rerum gestarum ordinem, in tabula, pictum, publice proposuit. *Gladiatores*, quoque, apud veteres, & alii lusores, *tabulam*, publice, affigebant, in qua simulacrum ludorum exprimebatur, ad excitandum desiderium hominum, & ad frequentiam spectaculis conciliandam. Ex reliqua pictarum tabularum multitudine, non nisi duas, notata dignissimas, attingemus. Prior est tabula, litera T, vel cruce, notata, quam simulacrum *Ophridis*, manu, gestabat. De hac, egregie, nos ALEX. DONATUS(s) informat, eandem, ex Aegyptiorum arcanis, interpretandam esse: quippe quae figura, judicio Socratis, & Sozomeni, idem significat, quod *Vita ventura*. Quomodo, vero, illud mysterium ad Aegyptios pervenerit, idem Donatus, ex Hieronymo, tradit, qui ita scribit: *Antiquis Hebraeorum literis, quibus, usque hodie, utuntur Samaritani, extrema T. litera crucis habet similitudinem*. Sed haec Hieronymi verba, cum grano salis, accipienda esse, jam dudum, a cordatoribus, & Philologis, & Theologis, evictum est, utpote qui, Codicem Sacrum, primum, non *Samaritanis*, sed *Ebraeis*, literis conscriptum esse, propugnant. Quare, si, ex Hieronymi sententia, aliquid ad scopum nostrum trahendum esset, dicendum foret, Aegyptios, a Samaritanis, hanc figuram mutuasse, ubi, tamen, & varii *Samaritanorum characteres* sunt attendendi. Usitator, enim, & impressus, huc quadrare non potest, quum, alias, tam ab Olaph A, quam a Tau A, fi-

H

gura,

(q) de Maximinis, c. 12. (r) de Viris illustribus, c. 56. (s) de Urbe Roma lib. I. c. 22. apud Graev. tom. III. p. 544.

gura, in Osiridis tabula, conspicua, desumpta esset, neque, adeo, character in MSS. obvius, sed, potius, character, in Siclis Samarianis, usitatus, & character Vaticanus, ac R. Asariae, qui perfectam crucem, hunc in modum *X*, refert, hic est respicendum. Atque sic, quod figuram spectat, certum est, hanc literam, ex Ebraea lingua derivari non posse, ex ipsa, tamen, vocis Ebraeae, נ, representatione, id *Donatus* praestare tentat, quam in rem oraculum, *Ezech. IX, 4.* adducit, ubi, in primis, sequentia verba notanda veniunt: ■ הַתְוֹתָה כִּי עַל־מִזְבֵּחַ תְּנִשֵּׁא signa signum super frontes virorum. Ast, & hoc fundamentum, adhuc dum, lubricum est; cum, tuto, adstruere nequeamus, quod נ, hic τεχνῶς, & generaliter, accipiendum sit, & non, potius, signum, denotet. Neque aliquid valent rationes, quae, apud *Polum* (t), leguntur, quare litera, נ, non vero alia, ad signandos fideles, adhibita fuerit. Quid, enim, id evincit, quod נ sit ultima litera? indene elici potest, fideles, eadem signatos, postremos inter homines, &, quasi, mundi quisquilias, haberi? si, vero, & illud largiremur, haec litera tamen, potius, miseriam bujus mundi, quam vitam venturam, representaret. Altera ratio, argutius, excogitata viderit, נ, nimirum, significare, eum, qui perseveraverit in finem, salvum fore. Facile, autem, apparet, hic meram applicationem dictorum N. T. quae *Matth. XXIV, 13.* & *Marc. XIII, 13.* leguntur, proponi. Tertia nihil, prorsus, probat, quum allusione incerta nitatur, quod נ litera, ideo, adhibita sit, quia haec est prima litera vocum נָרָגָה & נָרָגָה. Ut, enim, priorem taceamus, de posteriori, saltē, dicendum, quod eadem, hic, inepte, adducatur, quoniam נ, in illa, non est litera radicalis, sed, tantum, servilis. Tūtius, itaque, est, statuere, נ, hic, signum aliquod notare, cuius figuram, quum Scriptura, de ista, taceat, nos ignoramus, quam interpretationem, teste *Kim bho*, & omnes Rabbini admittunt. Atque sic, neque, ex hoc dicto, evinci potest, mysterium illud Aegyptiorum ab

Ebraeis

(t) *Synops. Crit. Volum. III. in Prophet. ad b. l. p. 1103. & 1104.*

Ebraeis repetendum esse; hinc, potius, si ipsorum fuit, iisdem proprium relinquendum erit, a quibus, forsitan, & Graeci, & Latini, postea, istud acceperunt. Apud utrosque, enim, T littera symbolum vitae, Θ, vero, mortis erat. Nam, docente ISIDORO (u), a Donato citato, &, superstitum, bello, militum nomina, litera T, mortuorum, vero, notione Θ, notabantur, ipsique judices, Aiconio annotante, T absolvebant, Θ damnabant. Hinc Θ nigrum PERSIUS, (x) tanquam infastum, his verbis, agnoscit:

*Et potis es nigrum vitio praefigere Theta,  
ut & MARTIALIS (y), quando scribit:*

*Nosli mortiferum questoris, Castrice, signum?*

*Est operae pretium discere theta novum.*

Sed, sufficiant haec, de tabula, quam simulacrum Osiridis, manu, gestabat: ad posteriorem, nunc, ex tabularum pictarum multitudine, adducendam, quae simulacrum, idoli cuiusdam, exhibebat, progrediamur. Est illa celebris, & antiqua, *tabula mar morea, solis effigie, symbolisque, exsculpta, magnitudinis pedum sesquitrium, ex uno quoque latere, quae Romae extat, in aedibus Hasdrubalis Matthaei, Marchionis Iovii.* Hanc, secundum ordinem rerum, in eadem sculptarum, exponere operae pretium esset, nisi iamtum, HIER. ALEANDER, & illius imaginem exhibuisset, & eandem, peculiari schediasmate (z), erudite, illustrasset, in cuius labore, hic, acquiescimus. De pretio tabularum pictarum memorabile valde est, illud, quandoque, ad insignem pecuniae summam excrevisse. Collegit hujus rei exempla G. BUDAeus (a), quae, ex ipso, hic, adducemus. Ita PLINIUS (b) refert, Regem Attalum unam tabulam Aristidis, Thebani pictoris, centum talentis, licitatum esse; Caesarem, vero, Dictatorem, Medeam, & Ajacem, Timomachi, in templo

H 2

Veneris,

(u) Lib. I. Etymol. (x) Sat. IV. v. 13. (y) Lib. VII. Epigramm. 36.

(z) Vid. illud apud Graevium, tom. V. p. 707. (a) de Asse & partibus ejus Lib. II. f. 77-78. (b) Lib. VII. cap. 38.

Veneris, genetricis, dicaturum, octoginta (talentis,) duas emisse. Sic & Candaules, Rex, Bularchi picturam, Magnetum exitii, haud mediocris (spatii), pari auro rependit; &, alio in loco, idem PLINIUS, (c) effigiei Alexandri M. mentionem facit, quem Apelles, viginti talentis auri, in templo Ephesiae Diana, ita pinxerat, ut digiti, fulmen tenentes, eminere, & fulmen extra tabulam esse, videretur. STRABO, (d) etiam, de Co insula, & urbe ejusdem nominis, loquens, templum Aesculapii, in suburbano situm, multisque simulacris refertum, celebrat, ubi & Appellis Antigonus, & Venus, e mari emergens, postea divo Iulio Caesari, Romae, dicata, conspiciebatur, quam Augustus, honori patris, ut generis Auctorem, consecravit. Et, de hac tabula Cois, fama fuit, pro eadem, centum talenta, ex imperato tributo, remissa esse. His aliam addimus, ex COELIO RHODIGINO (e), qui de L. Mumio, cui victoria cognomen Achaici dederat, narrat, quod, quum, in praeda vendenda, res distractisset, & Rex Attalus, sex millibus lefertium, Aristidis tabulam, Liberum patrem continentem, emisset, pretium miratus, suspicatusque aliquid, in ea, virtutis, quod ipse nesciret, tabulam revocaverit, & in Cereris delubro posuerit. Patet, autem, ex his, quae commemoravimus, veteres honori sibi duxisse, si raras, pretiosasque, picturas possiderent, suasque Pinacothecas iisdem replerent, quae, ita, tabulis pictis, uti tablina, scriptis, destinatae erant. Quum, itaque, Pinacotheca magnam convenientiam cum tablino haberet, &, porro, imagines, in eadem collocatae, domum ornarent, illa, pariter, in prima aedium parte, &, quidem, ad tablinum, ponebatur, quod SENECA (f) innuit, quando morem, imaginibus, in atris positis, superbendi, ita perstringit: *Qui imagines, in atrio, exponunt, & nomina familiae suae, longo ordine, ac multis stemmatum illigata flexuris, in parte prima aedium collocant, noti, magis, quam nobiles, sunt.* Ma-

xime,

(c) Lib. XXXV. cap. 10. (d) Lib. 14. (e) Lett. antiqu. tom. III. lib. 29. cap. 24. p. 632. (f) Lib. III. de Benef. cap. 28.

xime, in iisdem, antiqui suspendebant imagines majorum suorum, non, tamen, illas tantum, sed & quaecunque pretiosa, clarorum virorum, monumenta, quare Petronius dicit: *In pinacothecam perveni, vario genere tabularum, mirabilem. Nam & Zeuxidis manus vidi, nondum, vetustatis injuria, vidas, & Protagonis rudimenta.* Pinacothecis, claudendis, & observandis, etiam, servi praerant, qui & ad tablina attendebant, ab atrio, atrienses dicti, quod ex his TULLI (g) verbis elicitur: *Atque, ut, in magna familia, flitorum alii sunt laudiores, ut sibi vindentur, servi, sed, tamen, servi, atrienses, ac topiarii, quos signa, quos tabulae, quos caelatum argentum, quos Corinthia opera, quos aedifica magnifica, nimio opere, delectant:* qui locus ex MS. a Dempstero, est suppletus.

§. XXIX. Appendix, tandem, loco, ut, eo commodius, ad sanctissimas foederis tabulas transeamus, celebris, apud Rabbinos, tabulae, *Sectionis Sotae*, paucis, hic, mentionem faciemus. Ex auro purissimo illam confici curaverat, atque, una cum aliis, pretiosissimis cimeliis, templo, posteriori Hierosolymitano, dicaverat Helena, Monobazi Regis mater, uti id sequentia MISCHNAE (h) verba testantur: *וְאֵת הַיּוֹם שָׁתָח תְּבִרְאֵת שֶׁל זָהָב שְׁפָרְשָׂת סְוִתָּה כְּתוּבָה עַל יוֹמָן*: Fecit, etiam, illa, (sic) Helena, de qua, in antecedentibus, sermo,) ex auro, tabulam, cui sectio declinantis feminæ inscripta erat. Ad quem, MISCHNAE, locum, notandum venit, in translatione ejusdem, uti SCHERRINGAMUS (i), & WAGENSEILIUS (k), observarunt, Clariss. Vorstium errasse. Nam in Zemach David, ubi historia haec, de Helena, Regis Monobazi matre, occurrit, eundem ita reddidit: *Eadem, quoque, confici curavit pollubrum, cui inscriptum erat Parafasat Sutha, separatio prævaricantis feminæ.* Atque hinc patet, Vorstium existimasse, haec verba: *Parafasat Sutha*, in tabula

H 3 exarata

(g) Paradoxo s. (h) Seder Moïd, Massech. Joma cap. 3. n. 10.

(i) Notis ad trattat. Joma, b. h (k) Notis ad tratt. Sotae, cap. 2. n. 3.

exarata fuisse, quod, tamen, alienissimum, a proposito hujus Mischnae, videtur, & sequenti, Gemarae Hierosolymitanae, asserto, a Sheringamio adducto, confutatur: וְמֵה הַיּוֹת כְּתֻובָלִין ר' שְׁמֻעוֹן בֶּן לְקִישׁ בְּשֵׁם ר' יְנָאֵי אַלְפָ בְּיַרְתָּ הַיּוֹת כְּתֻובָלִין וְהָא תְּנִי כְּכֹתֵב שְׁכָאָן כִּי כְּתֻובָלִין לֹא מַעֲבֵרָה מִידָּק עַלְיהָ וְהָא תְּנִי כְּכֹתֵב שְׁכָאָן כִּי כְּתֻובָלִין לֹא מַעֲבֵרָה מִידָּק אֶלָּא בְּינָנוּ פָּתַר לָהּ כִּאַלְפָ שְׁכָאָן כִּי בְּיַת שְׁכָאָן תְּנִי ר' הַשְׁעִירָה כָּל בְּפִרְשַׁת סּוֹתָה הוּוּ כְּתֻובָלִין שְׁמָמָה הַיּוֹת כָּל קּוֹרָא וּמְהֻרְבֵּסְטָן Et quid scriptum fuit super eam? R. Schimeon, Ben Lakisch, nomine R. Janaei, dicit: Aleph, Beth, fuit scriptum super eam. & ecce traditur; sicut Scriptura, quae, binc, ita, Scriptura, quae illinc, non crassa, neque minuta, sed intermedia. Interpretatio ejus est; sicut Aleph, quae binc, ita Beth, quae illinc. Tradit R. Hoschiab, tota seccióne declinantis feminae scripta erat super eam, quia ex ea legebat, & exponebat, omnes disquisitiones Sectionis. Atque sic, equidem, certum esset, integrum sectionem Sotae, in Helenae tabula aurea, scriptam fuisse; de modo, tamen, illius Scripturae, quem, perspicue, R. Maimonides describit, adhuc est dispiciendum. Statuit, autem, verba, in rectis, secundum latitudinem, lineis, non contigua, collocata, sed verbum verbo, aut, bina vocabula binis, secundum longitudinem ducendo lineas, supposita fuisse. Rationem, mox, addit, non licere describere loca Scripturae, juxta ordinem, in una linea, nisi in libro, secundum conditio-nes, quae, in lege, exponuntur, & in phylacteriis, schedaque, postibus domiciliorum infixi; ast, super tabulis, non permis-sum esse, scribere, nisi unam vocem, super alteram, aut, duas voces, super duas voces, ut una columna perficiatur, & altera incipiat, quod, ut, eo melius, intelligatur, eodem ordine, ex Maimonide, & Wagenseilio, maledictionem integrum, (quae Num. V, 19. seq. legitur,) ex sectione Sotae, hic, apponemus:

□

עַמְקָה	שְׁטִירָה	אֶלְעָם
בַּתָּה	תְּחִילָה	לֹא
יְהוָה	אִישָׁן	שָׁכֵן
אַרְתָּה	וְכֵי	אִישׁ
יְרָכָה	נִטְמָאָת	אַתָּךְ
נְפָלָתָה	וַיְתַן	וְאָתָם
וְאַתָּה	אִישׁ	לֹא
כְּתָנָה	כָּךְ	שְׁטִירָה
צְבָתָה	אָזְנָה	טְמָאָה
וּכְאוֹתָה	שְׁכָבָתוֹ	תְּחִילָה
הַמִּים	מְבָלָעָדָיו	אִישׁ
הַמְּאָרוּרִים	אִישָׁן	הַנְּקִי
הַאֲלָה	וַיְתַן	מַמְּיָה
בְּמַעֵּךְ	יְהוָה	הַמְּרָם
לְצִבּוֹתָה	אָוֹתָךְ	הַמְּאָרוּרִים
כְּתָןָה	לְאָלָה	הַאֲלָה
וּלְנְפִילָה	וְלִשְׁבָעָה	וְאַתָּה
יְרָה	בְּתוֹךְ	כִּי

Porro, circa scripturam hujus tabulae, adhuc, monendum, sacerdotem, qui, ex aurea tabula, sectionem Sotae, in pergameno, describebat, secundum sententiam laudati Maimonidis, lineas transversas, non perpendiculares, confecisse. In nullum, vero, alium usum haec tabula erat adornata, quam, dicente, ita, JARCHIO (1): *שֶׁלֹּא יְהוָה צָרֵךְ לְחַבְיאָה* (ספר) *תּוֹרָה* *לְכַתְּבוֹ:* i. e. ne *neceſſe effet*, aliunde, in templum inferre Librum Legis, ut, ex eo, feralia verba, in scēdam, describerentur, vel, R. BARTENORA (m) annotante, ne opus effet, Librum Legis adducere, sed, ut, potius, ex hac tabula, maledictiones illae describerentur. Quare R. JACOBUM LEONI-

(1) Notis ad, paulo ante allegatum, Iomae locum. Jarchium, ex comuni sententia, ira nominamus, quamvis accuratores ipsum Jizachum dicant. (m) Notis, ad eundem locum.

LEONITIUM, (n) graviter, errasse, cum Wagenseilio, existimamus, qui tabulam hanc auream, in sanctissimum penetrale, admissam, &, eodem loco, cum urna Mannae, & baculo florente Aaronis, habitam fuisse, sibi persvasit, inquiens: בתרן קורש הירח נחן צאנדרץ חמן אשר משחו הירח כווע גז הקרשיט הירח נחן צאנדרץ חמן אשר משחו הירח כווע גז אמנס לין ועינו כען היבורות מונה לפני ארון העורות גס מטוח אחרון לבירת לוי עט פרחיו וציציו וגס השקריט שחויה שטחן מניה לפני ארון להווע לאורה לבני מרי גס שם הירח טבלת זוחב טהור אשר בה כתובה בלשון קורש האלה אשר הוו משבעם ארן הדשה כאשר יעבור על בעלה רות קנארא: i. e. ex versione Clarissimi Viri, qui illum librum Latinę reddere, dignatus est: *Intra S. S. sita fuit urna Mannae, quod simile erat semini coriandri, & color ejus, sicut color Bdellii, eaque constituta coram arca testimonii. Etiam baculus Aaronis, domus Levi, cum germinibus suis, & amygdalis, quoque, quae erant in eo, locata fuit ante arcam, ut esset in signum filiis rebellionis.* Ibidem exsilit tabula puri auri, in qua, lingua sancta, descripta erant illa, quibus adjurabant talem mulierem, super cuius marito transisset spiritus zelotypiae. Si, enim, id concedendum esset, cui bono aurea Helena tabula adornata fuisse, quum, eodem modo, ipse Legis liber ex S. S. extrahi, & sectio Sotae, ex eodem, describi potuerit. Et, quod maximum est, si in S. S. illa tabula asservabatur, inquit Wagenseilius, quomodo, ulla ratione, fas erat sacerdoti gregario, (qualem, judicii Sotae ministrum fuisse, constat,) penetrare in sacrosancta adytta, & tabulam, secundum quam Megillam describeret, deprimere? quippe in quae nemini, unquam, mortalium, praeter solum summum Pontificem, &, quidem, non nisi semel, in anno, introire permittebatur. Colligit, itaque, idem Wagenseilius, tabulam Helenae in conclavi aliquo, cum caeteris vasis, aut vestibus, sacris, custoditam fuisse, vel, etiam, quod ipsi verisimilius videtur, juxta Nicanoris portam, semper, appensam mansisse; a qua sententia utraque, tamen, modeste nobis discdere

(n) in Tavnit Hechal p. 32.

dere liceat. Statuimus, autem, eandem, in nullo alio loco, quam in magnifico, templi Hierosolymitani, propylaeo, suspensam fuisse, cuius opinionis fundamenta nunc adducemus. Verissimum, nimur, videtur, tabulam hanc, ibi, asservatam esse, ubi candelabrum aureum, quod, eadem Helena, templo Hierosolymitano dicaverat, conspiciebatur. Sed illud erat in propylaeo templi, undique, auro, resplendescente, hinc &, sine dubio, tabula, quoque, aurea, ibidem, reperiebatur. Inclinat, etiam, huc *Mischna*, l.c. quando dicit: *הָלַן עֲשָׂתָה נְבָרֶת שֶׁל זָהָב פָּתָחָה שֶׁל הַכִּיל אַפְּקָה*: *He-  
lena, (Regina,) fecit candelabrum aureum, in portate templi: Eadem  
paravit, quoque, tabulam auream, cui sectio Sotae inscripta erat;*  
siquidem, hoc in loco, propylaei hujus mentio fit, &, statim, candelabro, in eodem collocato, tabula nostra adjungitur. Neque difficile erat, si judicium Sotae contingebat, eandem, inde, auferre; cum Sacerdotis officium, insuper, requireret, ut in Sanctuarium iste se conferret, & tantum pulveris, sub lapide certo, qui dimoveri poterat, colligeret, quantum opus esset. Atque sic, demum, auream, quoque, tabulam, eadem via, secum, omni absque molestia, asportare ipsum potuisse, vero esse simillimum videtur. Plura, hic, non addimus, sed *Commentationi*, potius, *nostrae*, de *tabulis quibusdam veterum*, finem imponimus, & ad sanctissimas, foederis divini, cum Israëlitis initi, tabulas priores properamus.

## SECTIO II.

DE  
TABVLIS FOEDERIS PRIORIBVS.

## §. I.

**M**ulta, hactenus, notatu dignissima, in variis, veterum, tabulis, observavimus, quae omnia, tamen, si cum ipsis, quae circa sanctissimas, foederis divini, tabulas occurrent, comparantur, non magni momenti habenda erunt. Sive, enim, ipsarum auctorem, sive scripturam, sive materiam, aut fata, spe-

I

ctemus,

etemus, non notabilia, saltem, sed mirabilia, potius, in iisdem, inveniemus. Insigniuntur, vero, illae variis titulis, in Codice S., ex quibus omnibus, nomine **לחות הברית**, seu *Tabularum foederis*, Dissertationem hanc, ideo, inscribere placuit, quia illud, exacte, naturam ipsarum exprimit. Feriebatur, enim, foedus inter DEVM, & populum Israëliticum, quod, omnino, requirebat, ut & DEVS, & populus Israeliticus, tanquam pacientes, sibi invicem, aliquid praestarent. DEVS, ex infinita sua, erga genus humanum, & speciali, erga populum, ex Patriarchis, Abrahamo, scilicet, Isaaco, & Iacobo, oriundum, gratia, omnem, temporalem, pariter ac aeternam, felicitatem, eidem promittebat, & id, tantum, ab ipso, ad quod praestandum, jam antea, obstrictus erat, poscebat, ut, scilicet, secundum voluntatem suam, ageret, & praecepta sua, sollicite, observaret, quorum summa in decem verbis, tabulis lapideis inscriptis, continebatur. Vocabantur, itaque, tabulae hae, **לחות הברית**, a conditionibus, quas DEVS populo Israëlico, quum foedus, cum eodem, iniret, praescribebat. De utraque voce, nunc, speciatim, agemus. Quod ad nomen **לוֹחֶם** attinet, habendum illud est pro vocabulo suae originis, quum radicem ipsius non reperiamus. *Clarissimus Leigh* (a), equidem, *Mercerum*, hanc in rem, adducit, qui a **לוֹחֶם**, *bumore*, seu *virore*, hanc vocem derivat, ideo, quod, ex virenti arbore, tabularum materia caedatur; veremur, tamen, ut ratio illa id evincat: Si, enim, tabulae, ira, dicerentur ob materiam, quomodo, hic, lapides **לוֹחֶם** nominari possent? Tuttius, itaque, est, cum *ALPHONSO TOSTATO* (b), statuere, **לוֹחֶם** non esse nomen *substantialis speciei*, aut *naturae*, sed, potius, *figurae*, quum, in aliquo corpore, sic se habent dimensiones, ut longitudo major sit latitudine, & latitudo major profunditate; qua ratione & lignum, & lapides, & metalla, hanc in figuram redacta, **לוֹחֶם** dici possunt; unde consequitur, observationem *Merceri*, hic, locum invenire non posse. Idem nomen, *tabula*, in reliquis

(a) *Crit. S. Part. I.* p. 117. (b) *OO. Tom. II. part. II. quæst. 19. ad Exod. XXXII.* fol. 208.

quis, quoq; Linguis Orientalibus obtinet: In *Chaldaica*, enim, dicitur **לְוַחֵד**, in *Syriaca*, **لَوْحَدَة**, cuius Pluralis est, **لَوْحَدَات**, in *Arabica*, tandem, **لَوْحَجَة**, cuius Pluralis est **لَوْحَجَات**, & Ppl. **لَوْحَجَتْ**, Radix, vero, **لَوْحَجَ**, cui multa, euidem, significata tribuuntur, inter quae, apud *GOLIVM* (c), nullum, apud *CASTELLVM* (d), vero, unicum, *contabulare*, nimirum, & *coassare*, cum significazione, nominis **لَوْحَجَة**, conciliari potest. Quum, autem, tabulae variae reperiantur, videndum, nunc, de quibusnam, **لَوْحَة**, accipiatur. Describit nomen illud R. S. JARCHI (e), his verbis: **לְרוּתָה שְׁקוֹשְׁרוֹת זוּ עַם** וְ **כְּאִירָם שֶׁל גָּלוּתָם**: *invicem, colligantur, quales sunt, quibus Monaci uti solent.* Ast fatendum, hunc locum non obscurum saltem, sed & variae electioni obnoxium, esse: *WAGENSEILIVS* (f), enim, annotat, **לְרוּתָם**, euidem, reperiri in *EN ISRAEL* (g); in *Talmude*, vero, *Amsel.*, pro hac voce, **סְבָרָרִים**, legi, neutram, tamen, laudatus Vir, magna absurditate labore, existimat, dum *tabulas monachorum*, pro antiquis ipsorum *Diptychis* accipit, quae, eruditus admodum, *Summe Rev.* Dn. D. CHLADENIVS (h) explicavit. Nobis videtur **לְרוּתָה**, ut plurimum, majores, cuiuscunque materiae, tabulas fuisse, unde *Wagenselius* observat, hanc vocem *pugillares*, quos Rabbini, verbo corrupto, a **πίνακες**, **פָנָקָס**, appellant, excludere. *Alteram*, nunc, *vocem*, **ברִית**, scilicet, contemplabitur, de qua, si derivationem spectes, pariter, variae, Criticorum, sententiae reperiuntur. *FORSTERVS* (i) existimat, posse illud nomen, eodem jure, **בְּתַרְךָ**, quam a **ברִית**, literarum, tantum, transpositione facta, deduci, quod verbum **בְּתַרְךָ divisionem** innuit, ut, adeo, ad divisionem victimarum, quae, quum foedera feriebantur, communi usu, atque solemni

I 2 ritu,

- (c) *Lexico Arabico-Lat.* p. 2172. 2173. (d) *Lexico heptaglot.* p. 1885. §  
p. 1886. (e) in *Notis, ad Schabbat*, cap. 24. (f) *Notis, ad tract.*  
*Joma*, spec. cap. 3. n. 10. (g) fol. 79. col. 2. (h) *peculiaris Dissert.*  
*de Diptychis veterum, cum primis, Graecorum.* (i) *Diction. heb.* f. 13.

ritu, mactabantur, respiciendum esset. Sed, nec ipse *Forsterus* huic sententiae accedit, quando illud בְּרִית, a radice, derivat, quae in lucem producere, eligere, secernere, declarare, expurgare, significat. Manet, vero, & haec, *Forsteri*, opinio, minus recepta. Plurimi, enim, Critorum, originem vocis בְּרִית a radice, בְּרָה, repetunt, quae idem est, ac elegit, delegit, selectit, parum de cibo carpit, pransus, convivatus est; in eo, saltem, a se invicem, hi ipsi discrepant, an formalis ratio ab electione, an vero, a cibi sumptione, sit accipienda. *Paulus Fagius* existimat, a comedendo, בְּרִית dici, ideo, quia moris erat inter Ebraeos, & Orientales, cibum, & potum, invicem, capiendo, foedera sancire, eaque rata, & firma, habere. *Buxtorfus*, autem, ab eligendo, hanc vocem, denominari, putat, quia personae, inter quas, & res, ac conditiones, propter quas, foedus aliquod initur, studio quodam, atque industria, eliguntur. Utramque hanc sententiam, non male, conjungi, &, ab utraque significatione, vocabulum בְּרִית denominari, statuimus, atque, adeo, neque *Fagium*, neque *Buxtorfum*, hic, culpamus. Adjicit, praeterea, idem laudatus *Buxtorfius*, posse, etiam, a caedendo, deduci, qui significatus, equidem, radici, בְּרָה, non competit, interim, tamen, sub בְּרָא reperitur, quod *Forsterus* aliter, adhuc, explicat, quando refert, quosdam judicare, בְּרִית esse dictum quasi בְּרִית, a radice, בְּרָה, permutata litera בְּ, cum בְּ, &, quidem, ex dupli ratione, quia, in ineundis foederibus, victimae caedebantur, & in Codice S., saepius, בְּרִית, cum verbo, בְּרַת, conjungitur, uti ex Gen. XV, 18. apparet. Quae, si vera essent, cum Latino, *Foederis*, vocabulo, Ebraicum, exacte, conveniret, quod, quibusdam Criticis, quanquam illud per oe, in veterum monumentis, scribatur, a feriendo, ideo, dictum videtur, quia, quando foedera firmabantur, hostia, a Sacerdote, saxo, feriri solebat. Sed, quemadmodum haec sententia, de Latini, *foederis*, vocabuli, origine, ob difficultates, quae ipsam comitantur, a *Celeb. Vossio* (k) non recipitur; ita, etiam, nos, in derivatione

(k) *Etymol. Linguae Lat.* f. 219.

tione Ebraeae vocis, ברית, ob easdem rationes, non, facile, ad caedendi significatum descendemus, quum nihil obster, quo minus, ברית, ab eligendo, & comedendo, dictum esse, statuamus. Restat, ut ipsam, ברית, propriam significationem contemplemur, quae duplex esse videtur, ut, nunc foedus, nunc testamentum, denotet. De priori nullum est dubium, posteriorem, vero, LXX. Interpretes confirmant, quippe qui notio nem, per διαθήνυν, reddiderunt, quae vox PAVLO, Galat. III, 17. & Ebr. IX, 15., expresse, testamentum denotat. Quicquid, autem, videatur, id, tamen, certissimum est, ברית, propriissime, foedus, non testamentum, significare, quare & Aquila, Hieronymo teste, hoc nomen, per συνθήνυν, reddidit, quod, etiam, ipsi LXX. Interpretes, semel, Esa. XXVIII, 15. Clariss. Leigh annotante, fecerunt. Ceterum, quod, non solum, Ebraea vox, ברית, sed &, Graeca, διαθήνη, propriissime, foedus denotet, jam olim, FLACIVS (1), ex Phavorino, probatum dedit, ostenditque, eandem, quando testamentum significat, plerumque, pluraliter, enunciari. Caute, tamen, admodum, Celebris hic vir adjicit, non male, in antea citatis duobus locis, Galat. III, 17. & Ebr. IX, 15., etiam, vocem, ac rem, testamenti, foederi adjungi, quia illud foedus DEI, nobiscum initum, naturam quandam, proprietatesve, testamenti habet, de quibus, laudatus Auctor, plura dabit.

§. II. Praeter nomen, hucusque, expositum, in S. Codice, & alia, tabulis foederis imponuntur, quae, etiam, merentur, ut hic, paucis, attingantur. Praecipuum, inter haec, locum, sibi vindicat vox ערכות, qua Exod. XXV, 16. 21. XXXIV, 29. aliisque in oraculis, tabulæ sanctiores insigniuntur. Deducitur illa a radice, עיר, in Hipbil, maxime, usitata, testatus, testificatus, fuit, compromisit, &c, per Metalepsin, obtestatus est, monuit, admonuit, unde, & ipsa vox ערכות, testimonium denotat, quae significatio ei, magis, propria est, quam institutionis, praecepti, vel orationis,

(1) Clavis Script. S. part. I. p. 343. seqq.

culi, a CASTALIONE (m), recepta. Hinc factum, quod, plurimi, sacrarum Literarum Interpretes, similem, in suis linguis, vocem retinuerint. Ita, enim, Onkelos, vertit סִירוֹתָא, testimonium, Syrus, σύρος, Arabs, سُرْيَانِي, LXX, tandem, Interpretes, τὰ μαρτύρια, qui pro ψυχή, forsan, עַדְתָּה legerunt. Quamvis, autem, nomen ψυχή, saepissime, in Scriptura S., tabulis foederis tribuatur, non, tamen, inde concludendum, illud ipsum non, etiam, aliis rebus convenire, de quo, prolixius, agemus, quando controversiam, a Fr. Fort. Scacco excitatam, examinabimus. Id, ceteroquin, certum est, שְׁרָתָה, in quibusdam locis, uti Exod. XXV, 16. tantum, tabulas foederis notare, quare, etiam, cum DRVSIO (n), Ruperti sententiam non admittimus, qui existimat, ibidem, testimonium, praeter tabulas foederis, urnam Mannae, & virgam Aharonis, significare. Con jungitur, porro, Exod. XXXI, 18. & XXXII, 15. cum voce עֲדֹתָה, nomen לְחֻזָּה, quod & Onkelos, aliique Interpretes, imitantur. Sic, enim, ille tabulas nostras vocat, לְוחֵי סִירוֹתָא, Syrus, vero, easdem, σύρος; مَذَلَّة, Arabs; لَوْحَى تَمَثَّلَة, LXX, tandem, Interpretes, πλάνους τὰ μαρτύρια nominant. Nec desunt rationes, quare tabulae foederis עֲדֹתָה, & לְחֻזָּה, a Spiritu S. appellatae sint. Quidam, enim, Critici, Münsterus, scilicet, Tirtinus, Cor. a Lapide, Junius, Piscator, Vatablus, Em. Sa, Torniellus, aliique, exultimant, easdem ita dici, quod voluntatem DEI testarentur, quid ab hominibus fieri, & quomodo coli, velit? vel, uti Friedlibius loquitur, quod, de DEO, testentur, a qua ratione & Abarbanel non, multum, recedit, quando voces, קָרָב לְחוֹזָה הָעוֹדוֹת לְפִי שְׁחוֹן, ita explicat: לְחוֹת הָעוֹדוֹת שְׂרוֹת שְׂנוֹת בְּסִינִי לְשִׁרְאָל שְׁמָשׁוּ שְׁרָתָה הָרוֹבוֹת כְּמוֹ שְׁחוֹן עַל הָלוֹחוֹת: i. e. Vocat eas (Moses) tabulas testimonii, quia fuerunt testimonium legis, quae Israëli data fuit in monte

(m) Vid. Bibl. Crit. tom. I. part. I. ad Exod. XXV, 16. (n) Notis ad Exod. XXV, 16.

monte Sinai, qui audiverunt decem praecepta, sicut, in tabulis, fuerunt scripta. Eadem sententia est R. Salomonis, quando dicit: Legem vocari testimonium, quia testatur, DEVM Israëlitis ea mandasse, quae, in Lege, sunt scripta. Cum Abaranele, & R. Salomone, faciunt Lyranus, & Cartbusianus, qui hoc nomen, ideo, tabulis nostris competere, judicant, quod testentur, populum Israëliticum, legem, tabulis inscriptam, a DEO accepisse. Aliis, uti Ainsworbo, & Tostato, videtur, nominari, ita, tabulas foederis, quod essent testimonium aduersus populum Israëliticum, si praevaricati essent, aut, si legem datam in dubium vocarent, quae, accuratius, dijudicata, cum illis, quae, antea, diximus, & cum sequentibus, Drusii, verbis, coincidunt, quod, scilicet, per legem, in tabulis scriptam, violatoribus omnis excusatio sit ademta. Restat, adhuc, una ratio, ob gravitatem suam, hic, non praetereunda, quam R. ABEN ESRA (o), his verbis, tradit: חֲלוֹתָה וְשִׁבְעָה כָּאֵלֶּה וְסִכְמָתָה שֶׁתְּרַחְוֹת אֶל הַארְן: וְהַתְּהֻרְתָּה וְהַעֲנָמָת וְקַח וְיַזֵּן אֶת הַעֲרוֹתָה אֶל הַארְן: i.e. Tabulae vocantur testimonium, ac si essent instar pectorum dotarium, tabulae, inquam, foederis. Cujus rei clarum testimonium est, (quod dicitur:) Et accepit, & posuit, testimonium in arca; Et huic sententiae, e Christianis, etiam, Lyra, Abulensis, alio in loco, Arias Montanus, Oleaster, Cajetanus, aliique, accedunt. Nos nullam, harum rationum, rejicimus, aut absonam statuimus, probe, tamen, easdem distingvendas esse, censemus. Piores omnes, tanquam longius repetitae, admitti possunt, &, non nisi, postrema, proxima, & propriissima, judicanda erit. Ideo, enim, DEVS populo Israelitico tabulas foederis dedit, ut de foedere, inter ipsum Numen sanctissimum, & populum, initio, testarentur, cuius foederis conditiones, ab Israelitis acceptae, & observandae, iis inscriptae erant, ut, adeo, priores rationes, secundario, tabulis foederis, primario, vero, libro legis, competant. Vidi mus, haec tenus, denominationem tabularum foederis, a fine ipsarum desumtam,

(o) ad Exod. XXV, 10.

sumtam, aliam, nunc, contemplabimur, materiam earundem respicientem, qua, nimirum, לְחוֹתָה אַבְנֵוֹת & לְחוֹתָה אַבְנֵן seu, tabulae lapideae, Exod. XXIV, 12. cap. XXXI, 18. aliisque in locis, appellantur. Retinuerunt, etiam, illam denominationem, praeter Arabem, plurimi Orientales Interpretes. Ita, enim, Chaldaeus Paraphrastes, לְחוֹתָה אַבְנֵנוֹת, Syrus, حَلْوَاتٌ, LXX, vero, τὰ πλάκα τὰ αἰθίνα, & πλάκας αἰθίνας, vertunt. Arabs, autem, ad specialiora progreditur, & tabulas nostras لَوْهِي جَوَهِرٍ & لَوْهِي مِنْ جَوَهِرٍ, tabulas gemmeas, nominat; لَوْهِرٍ enim, quod est a Persico, كَوْهُر, &, in lingua Arabica, لَوْهِي radicem agnoscit, non, saltem, mineram, unde boni quid elicetur, & id, quod, in re quaque, nitet, & praestat; sed, quoque, gemmam, in genere, & margaritam, in specie, denotat. Tandem, Spiritus S. in N. T. Ebr. IX, 4. tabulas nostras vocat πλάκας τῆς διαθήνης, tabulas testamenti, sine dubio, ad denominationem לְחוֹת הַבְּרִית in V. T. respiciens, de qua, supra, annotavimus, LXX. Interpretes eandem, ita, redidisse. Foedus, enim, divinum, cum Israelitis initum, ita, cum testamento, erat connexum, ut ipsum foedus, saepius, testamenti nomine veniret.

§. III. Auctor, & fabricator, tabularum foederis, idem ille dicendus, qui, clara voce, totam legem moralem promulgavit. Hunc, neque principium, DEO oppositum, quod somnum est vetustiorum quorundam Haereticorum; neque tres a DEO distinctos, uti Ptolomaeo visum; neque Angelum intermedium, quae sententia Abulensi, Corn. a Lapide, & aliis Pontificiis, placet; sed ipsum sanctissimum Numen fuisse, jam dudum, IO. ADAMVS OSIANDER (p), prolixe admodum, & erudite, ostendit. Testatur id, expressis verbis, Scriptura S. Exod. XXXII, 16., quando dicit: וְלֹחֲזָתָ מַעֲשָׂה אֱלֹהִים & tabulae opus DEI, ut, adeo, cum certitudo rei constet, brevitati studere

quea-

(p) *Typo Legis Moralis, a thes. I. ad XLIII. inclus.*

queamus. Unicum nobis incumbit, ut, nimirum, sanctissimum nostrum Servatorem, aeternum DEI filium, ab injuria, quam, jejunis suis commentationibus, Rabbini, hic, ipsi inferunt, dum eandem, a fabricatione tabularum foederis, excludunt, vindicemus. Id, autem, faciunt, quando Angelum, qui, in columna ignis, & nubis, castra Israelitarum duxit, ac, in promulgatione legis, uti ex *Act. VII, 38.* innotescit, operosum se exhibuit, non DEVM, sed nudam creaturam, esse, statuant. Clare, id indicant verba R. BECHAI (q), qui monet, sciendum. כִּי חָמָלָךְ הוּא שָׁטָעָה אַחֲרֵ בָּעֵנִי וְנַכְלֵל כֹּו לְהַסְתִּפְךְ בְּשָׁחוֹן רְשִׁוּתְךָ וַיַּצֵּא לְתָרוּבָה רֶעֶת וְכוֹן quod, circa hunc angelum, non nemo erraverit, in oculis suis, & impegerit, & haesitaverit, (crediderit) duos esse Deos, sive in pessimam indolem (haeresin) inciderit: existimatque, id, facile, accidere ei, qui non cautus est, circa ejus considerationem, ut peccet in suam animam, & in laqueos, ac reatum magnum, cujus nulla est expiatio, se praecipitet. Eadem mens est R. David Kimchi, qui, angelum hunc, spiritum λατεργητῶν facit, quando de angelo, *Malac. III, 1. seq.* descripto, dicit: מֶלֶךְ הָןָה מִשְׁמֵיכָךְ כְּמוֹהוּ denotat angelum Dei, de coelo, quemadmodum ait: (Ex. XXIII, 20.) Ecce ego mitto angelum meum, ante faciem tuam, ad custodiendum te, in via &c. Aliorum Rabbinorum nugas, studio, praeteribimus. Sed, facile, se ipsos, sua ψευδερμάτναις, Rabbini confutant, quum nesciant, quidnam de hoc angelo, praecise, sit sentiendum. Id negare non sustinent, angelum hunc, quum tabulae Mosi darentur, in monte fuisse, DEVMque Mosen jussisse, ut ad hunc angelum ascenderet. Extorserunt hoc ipsis verba, *Exod. XXIV, 1.* ubi יְהוָה loquitur, &, nihilominus, dicit: עֶלְהָ אֶל־יְהוָה, ascend ad Jebovam, quorum sensum, R. Bechai, juxta Cabbalam, hunc statuit: Et ad Mosen dixit Deus unus, vel proprius: Ascende ad Dominum, עֶלְהָ אֶל־מֶطְרֹן שְׁמָנוֹ כִּשְׁמָ רְבוֹ, i.e. Ascende ad

K

ad

(q) in *Exod. f. 98. col. 4.*

*ad Metatorem, cuius nomen est, sicut nomen Domini sui.* Concedunt, itaque, &, cum angelo duce, Mosen, in monte Sinai, per illos XL. dies, locutum esse; nihilominus, tamen, istum, a DEO, natura, distingvunt, quamvis, Mosen, cum ipso DEO, in monte, locutum esse, toties, Scriptura testetur. Prolabuntur, hinc, ad alia, & putant, angelum, vel Michaelem, vel Gabrielem, fuisse. Pro illo, ipsum habet R. Jochanan, pro hoc, R. Channa, neuter, vero, rationes, saltem, probabiles, pro sententia sua, afferre potest. Vocant, porro, eundem, Redemptorem, Dominum, & Dominatorem, omnium, Dominum totius domus DEI, & omnium facultatum DEI, custodem, & conservatorem, mundi, & Israëlis, quae, quomodo creaturae convenienter, ipsi Rabbini viderint. Sufficeret nobis, in eo acquiescere, quod Rabbini suam sententiam probare nequeant, sed, potius, nolentes, volentes, fateri cogantur, angelum hunc, ad quem Moses, ut tabulas foederis, ab ipso, acciperet, in montem, Sinai, ascendit, ipsum DEVIM esse; Id, tamen, adhuc dum, addimus, illum, qui est facies Jehovae, cui nomen, DEO soli proprium, competit, & angelus foederis nominatur, verum DEVIM esse, &, a fabricatione tabularum foederis, nullo modo, excludi posse. Tandem, missis Rabbinis, aliquid de Alphonso Tostato, aliisque Pontificiis, addendum esset, qui non DEVIM, sed angelum creatum, auctorem tabularum, aperte, statuunt; nisi ipse Tostatus, quando de Scriptore tabularum agit, melius suam mentem explicasset, unde & totum negotium, ad hujus explicationem, reservabimus.

§. IV. Plura, notanda, occurrunt, circa modum, quo DEVS tabulas foederis elaboravit, in quo exponendo, Critici, in duas abeunt partes. Quidam existimant, creasse DEVIM tabulas illas; quidam, vero, statuunt, ipsum easdem dolasse, & fabricasse, &c, utrique, sententiam suam, inde, adstruunt, quod tabulae בְּנֵי־יִשְׂרָאֵל dicantur. Creatas esse tabulas foederis, plurimis, ex Rabbinorum caterva, videtur, ad quos, *Auctor libri, Cofri* (r), in pri-

(r) part. I. n. 91.

in primis est referendus. Ita, enim, hic scribit: כָּבֵד  
הַזְּהוֹרֶת וְהַמִּן הַלְּטוֹת: *creavit (DEVS) tabulas, manna, aliasque similia.* Jungimus ei *Aben Ezram*, qui, adhuc, annotat, tabulas priores, ideo, opus DEI, &, hac ratione, creatas, dici, quia posteriores, a Mose, dolatae fuerunt. Eo, quoque, R. *Salomon respicit*, dum ait, *DEVVM tabulas hasce fecisse, בְּכָבוֹד in gloria sua*, i. e. uti *Cartwrightus* rem explicat, *gloriosa sua potentia.* Sed hi omnes, generalius, de creatione tabularum, loquuntur, quam isti, specialius, exponunt, qui, eas, sub vesperam, sexti creationis diei, una cum aliis rebus, conditas, fingunt. De *Manna*, R. *ISAAC BEN ARAMAH* (s), a *BVXTORFIO* (t) allegatus, ad verba: *Quia nestiverunt, quid esset*, scribit: *Popolum non novisse illum panem, ideoque Mosen dixisse: Hic est panis, quem Dominus vobis dedit in cibum:* quae verba tantum inferre existimat, quasi dicas: *Non est id, quod vos arbitramini, sed est cibus divinus, quem praeparavit DEVS, ad suscitantos vos,* משחת ומני בראשית, *a sex diebus creationis, ו*, ab eo tempore, reservatus, sicut ceterae res, quas Sapientes nostri dixerunt, *creatias fuisse, in vespera Sabbathi, seu, sexta die creationis.* De puto *Mariae*, בָּארה של מרים, propter meritum, & pietatem, Mariae dato. R. *BECHAI* (u), quem idem *BVXTORFIUS* (x), adducit, ita loquitur: *Dabit aquas suas, decretas, inde, a sexto creationis die, prout Rabbini nostri b. m. scribunt, putoem Mariae esse ex numero decem illarum rerum, quae creatae sunt, vespera sexti diei creationis.* Omnes has decem res, vespera, sexti diei, creatas, sequentibus, *Talmudici* (y), comprehendunt: עשרה ובריות נבראו בעד רב שבת בין השמשות ואלו רצ'י רארץ ופי הכרא ופי האתנן והקשת והמן והמתה והשמי ווחكتب והחמקת והלחות ויש אמרות אף החזקון וקבורתו של משה:  
אללו של אברם אבינו ויש אמרות אף צכת בצת עשווה:

K 2

quae,

(s) in Akedas Jizchak. (t) Hist. Mannae cap. 2. Exercit. p. 349. (u)  
f. 175. col. 3. (x) Hist. petrae, in deserto, cap. 5. Exercit. p. 418.  
(y) in פרק אבות cap. 5. § 6.

quae, ita, ex versione SVRENHVSII, quam hic sequimur, sonant: *Decem res creatae fuerunt, in vespera Sabbathi, inter vespertas, & sunt istae: os terrae, os putei, os asinae, iris, manna, virga, Schamir, scriptura legis, & scriptura, (quae erat in tabulis decalogi,) & tabulae.* His, quidam, addunt daemones noxios, sepulchrum Mosis, & arrietem, (quem immolavit) Abrabam, pater noster, (pro Iсаaco.) Quidam dicunt, etiam, primam forcipem, qua alia forceps facta fuit. Quam inepta, vero, & jejuna, haec sint, si, uti, euidem, textus postulat, secundum literam, explicitur, quivis, etiam, leviori judicio praeditus, manibus palpare potest. Faciemus periculum, &, breviter, res adductas, examinabimus. Dicitur creatum, vespera Sabbathi, os terrae, quod Korachum, Dathanem, & Abiramum, sociosque ipsorum, absumsit. At, enim vero, si, terra os creatum habet, ubi, quae? illud ante, & post, perditionem horum seditiosorum, fuit? vel, quare non in aliis, etiam, terrae locis, ora sunt creata, quum tot aperturae terrae, in quavis Historia, & nostris, adhuc, temporibus, commemorarentur? Possent, tamen, Rabbini instare, voraginem, quae Korachum, Dathanem, & Abiramum, deglutivit, peculare quid, prae reliquis terrae aperturis, habere, quum tellus, hic, non per naturalem concussionem, sed per miraculum, erupta sit. Ast, facile, se ipsos conficerent, si, hac exceptione, sententiam suam vindicare vellent. Si, enim, per miraculum, terra erupta fuit, certe, non, jam, vespera, sexti creationis diei, voraginem hanc DEVS paravit, alias, fissura haec, non per miraculum, sed naturali modo, facta fuisset. Fundamentum, vero, totius hujus figimenti, est, quod Rabbini verba, *Num. XVI, 30.* בְּרוֹאָה יְבָרָא יְהוָה וְפִצְתַּחַת הָאָרֶם אֵת פָּזָן: si creationem creabit Jehova, & appetiet terrae suum, secundum literam, explicit, quum, tamen, hic, de creatione impropria, & rei, saltem, mirabilis, productione, sermo sit. Os terrae excipit os putei Mariae, & os asinae Bileami. Ast, excidit, forsitan, Rabbinis, non dari os putei, & os asinae, nisi ipse puteus, & asina, existant: puteum, itaque, integrum,

tegrum, & asinam totam, vespera, sexti diei, creatam fuisse, statuere debebant. Porro, mentionem faciunt *Iridis*, cui, ob similitudinem, *Scripturam legis* adjungimus, quo, sane, non tantum, aperte, in sanam rationem impingunt, dum *accidentia*, sine *subjecto inhaesione*, fingunt; sed, etiam, *Scripturae* contradicunt. Gen. enim, II. narratur, neque, statim, post primum hexaëmeron, pluviam tellurem irrigasse, sine qua, tamen, iris, proprie sic dicta, existere non potest; multo minus, itaque, id, vespera, sexti creationis diei, factum fuit. Quod, autem, porro, ad *Scripturam legis* attinet, Deut. XXXI, 9. dicitur, Mosen ipsum, non, vero, alium, legem divinam scripsisse. *Virga Aarons*, itidem, inepte, inter res, sub vesperam Sabbathi, creatas, refertur, siquidem, hac ratione, eadem ista, antequam, cum reliquis tribuum virgis, juxta testimonium, collocaretur, jam gemmis, floribus, & amygdalis, instructa fuisse. *Vermem Schamir*, studio, eam ob caussam, hic, mittimus, quoniam plura de isto, quando posteriores foederis tabulas explicabimus, commentabimur. Reliqua, quibus, Rabbini quidam, mulam Davidis, insuper, addunt, quum, ab ipsis *Talmudicis*, tanquam incerta, propemodum, negligantur, plane non tangemus. Maxime omnium, probabiliter, inter res, vespera Sabbathi, creatas, a *Rabbinis*, *Manna*, & *tabulae legis*, cum *Scriptura*, ipsis insculpta, referri videntur. Haec, enim, creata fuisse, multi, ex nostris, quoque, concedunt, id quod, tamen, non impedit, quo minus, & hac in parte, non ab omni absurditate, sententiam *Rabbiorum*, absolvit posse, existimemus. Nam, si quaeramus, ubi, *Manna*, & *tabulae*, reconditae fuerint, antequam DEVS utramque hanc rem produixerit? respondent, de *Manna*, fuisse illud in *Paradiso*, seu *borto Edenis*, uti patet ex antiquo libro *Zobar*, (2), a *Baxtorio* citato, qui ita habet: וְחוֹא מַנָּא חֹוֹת סִלְקֵךְ רִיחָא (2), illud *Manna*, emittebat odorem omnium aromatum borti *Edenis*, e quo de-

K 3

riva-

(2) *Sed. בְּתַלְמָן fol. 28. 2.*

ribabatur, & descendebat. Idem, forsitan, de tabulis foederis, sub vesperam Sabbathi, creatis, statuendum erit, quum aptior, Paradiso, locus, pro ipsis, excogitari vix possit. At, enim, vero, posteaquam Paradisus, tempore productionis tabularum, & Mannae, non amplius, sub antiqua sua forma, ullibi, comparuerit, sine dubio, & tabulae ipsae, & Manna, nondum extiterunt. Dudum, haec incommoda, animadvertisit *prudentissimus Rabbinorum, Maimonides* (a), quare & sensum, verborum *Talmudicorum*, hunc in modum, emollit: Sapientes non credere renovationem voluntatis nostrae, singulis momentis, sed DEV M, in principio creationis, naturalem quandam voluntati habitum indidisse, quo, pro arbitrio suo, omnia agat; si, vero, secus fiat, miraculum dici, idcirco statuisse Sapientes, DEV M, die creationis sexto, jam hanc facultatem terrae indidisse, ut, postea, inglutiret Corachum, ejusque socios; ita, etiam, puto, ut aquas produceret, & asinae Bileami, ut loqueretur, sive, de ceteris, judicandum esse. Quae omnia, quamvis saniora sint, istis, de quibus nos *Talmudici certiores* faciunt, nullo modo, tamen, evincunt, hunc esse loci *Talmudici sensum*. Quomodo, namque, de *Iride*, de *Manna*, de *verme Schamir*, & de *tabulis foederis*, dici posset, DEV M, saltem, ipsis facultatem indidisse, ut existerent? Praeterea, *Maimonides*, tanquam prudentior, non, semper, genuinam Rabbinorum mentem aperit, unde, &, loca quaedam, Scripturae, eodem, cum Christianis, modo, interpretatur, quo se propriis suis sociis invisum reddidit. Condonaremus, tamen, Rabbinis, hanc mentis coecitatem, si, modo, non ad ineptiora prolaberentur, & Lectori, prorsus, deridentes se exponerent; sed, quid votis opus? res ipsa contrarium testatur. Nondum, enim, ipsis sufficiebat, statueré, tabulas foederis, vespera Sabbathi, creatas esse, quum, longius, progrediantur, &, *Hoffmanno* (b) annotante, fingant, easdem, *bis mille annis*, ante *M. C.*, exaratas, &, hac ratione, etiam, creatas

(a) *Notis, ad cit, antea loc. Talmud.* (b) *Lex. univers. Tom. IV. f. 333.*

tas fuisse, quod commentum, non refutatione, sed risu, potius, & indignatione, est excipiendum. Rectius, Christiani, creationem tabularum, explicare videntur, quando, uti Ostander facit, sentiunt, priores tabulas, miraculose, & extraordinario modo, creatas esse, non, autem, tempus creationis, ad primum hexameron, seu in aeternitatem, rejiciunt. Alt, licet, quadammodo, haec admitti possint, placuit, tamen, aliis, quum nulla necessitas, ut ad miraculum, hic, recurramus, nos urgeat, existimare, DEVM, verbo suo potenti, ex praexistente materia, tabulas foederis confecisse, dolasse, & fabricasse. Toton, in hac opinione adstruenda, est, ALPHONSVS TOSTATVS (c), quamvis, hic, sub DEI nomine, angelum intelligentem velit, in quo, licet, plurimum, aberret; probe, tamen, insimul, annotat, quod, sine necessitate, miraculum, hic, non concipiendum, sed, potius, statuendum sit, tabulas priores, foederis, a rerum principio, cum aliis rebus, sine miraculo, creatas, vel, postea, naturaliter, genitas fuisse, sicut crystalli, ex aquis gelidis, lignuntur, aliique lapides, pretiosi, suas generationes nascuntur. Neque putandum, lapides illos, a principio, in forma tabularum, dispositos fuisse; sed, tantum, in rudi, atque impolita, materia, extitisse, tandem, vero, a DEO, dolatos, & preparatos, fuisse. Et his, quidem, non repugnant illa, quae MAMONIDES (d), ex denominatione, מַעֲשָׂה אֱלֹהִים, elicit, quasi, nimirum, omnium illarum rerum, quae ita appellantur, essentia, non pro artificiali, sed naturali, sit habenda. Haec tenus, enim, & ipsae tabulae foederis, priores, eodem sensu, naturales, dici possunt, quoniam DEVS, non instrumentis, sed mandato, & verbo, suo, easdem dolavit. Ad nos quod attinet, subscriimus, haud gravatim, sententiae Tostati, ob summam, qua ista se commendat, probabilitatem, ita tamen, ut, constanter, DEVVM auctorem, tabularum foederis, credamus, sicque iis nos non oppona.

(c) OO. Tom. II. part. II. ad Exod. XXXII. quæst. 23. fol. 211. (d) מְוִרָה נֶכְזָה Part. I. cap. 66. p. 19.

opponamus, qui tabulas foederis, priores, ex praeeexistente materia, creatas esse dicunt.

§. V. Fabricatas fuisse, ab ipso DEO, tabulas foederis, huc dum, percepimus: nunc, itaque, *materia earundem, strictum, evolvenda erit.* Quum, vero, de hac, Scriptura S., non, nisi generatim, loquatur, variae illorum, qui specialiora quaedam eruere conati fuerunt, ortae sunt sententiae, quas, nunc, ordine, recensere, instituemus. Communissima, apud Rabbinos, teste LYRANO (e), est, tabulas nostras fuisse sapphirinas, quam & Suidas, Epiphanius, Anastasius Nicaenus, & Nilus Metropolita, a CORNELIO a LAPIDE (f) citati, sunt amplexi. Fundamentum ipsius, & πρῶτον ψεῦδος, est, locus Exod. XXIV, 10. in quo refertur, DEV M, legem promulgaturum, cum suppedaneo sapphirino, ex quo, deinde, ut Rabbini contendunt, tabulae nostrae excisae sint, apparuisse. Fingunt, enim, hoc suppedaneum, inferiorem esse partem *throni gloriae divinae*, qui thironus, Ezech. I, 26. & cap. X, 1. tanquam sapphirinus, describitur. Id, primo intuitu, mirum videri poterat, mox, tamen, si arcana Rabbinorum adeamus, illustrabitur. Statuunt, scilicet, MAIMONIDE (g) referente, solium gloriae divinae, ante mundum conditum, creatum, DEV Mque, eodem, postea, quando se amicis suis manifestavit, imo & in ipsa, hujus universi, productione, usum esse. Confirmat posterius R. Ehezer, dum asseverat, *copiam nivis*, sub hoc throno, existere, de qua DEVS acceperit, &, super aquas, sparserit, quae, deinde, congelatae, ac pulvis terrae factae, fuerint, cuius fabulae origo, ex his Jobi verbis (h): *Qui dicit nivi, esto terra; verius, in terra, est petenda. Quidam, praeter nivem, adhuc, aliud quid, sub throno gloriae divinae, videlicet, lucem Messiae, collocant, quae de re, in libro Falkut, ex antiquo libro, Pesikta, locus adducitur, ad verba illa Esaiae: Surge lux mea, quia venit lumen tuum:* accommodatus, quem integrum

(e) ad Exod. XXIV, 12. (f) Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXXI, 18. f. 575. (g) מורה נבוכים part. II. cap. 26. (h) Vid. c. XXXVII, 6.

integrum BVXTORFIUS (i) exscripsit. Illa, autem, lux Messiae, nihil aliud ipsis est, quam lux primigenia, quam bonam esse, DEVS dixit, cumque, jam ante mundum conditum, saeculum Messiae, & opera ejus, praevidisset, pro eo, & generatione ipsius, secundum sententiam Rabbinorum, lucem hanc, sub solio gloriae suae, abscondidit. Ast, omnes has Rabbinorum nugas, de solio gloriae divinae, ipse Maimonides, contribulis ipsorum, explodit, &, solide, refutat. Ante omnia, his in fabulis, desiderat, Scripturam S., de generatione, vel creatione, hujus solii, nobis nihil suppeditare, nisi, quod David (k) dicat: *In coelis disposuit solium suum: quae verba, tamen, variam admittant explicationem.* Id, equidem, ambabus manibus, largitur, *Scripturam* (l) aeternitatem hujus solii adstruere, quando inquit: *Tu, Domine, in seculum, permanes, solium tuum in generationem, & generationem;* ast, circumspicte, moneret, hic non sermonem esse, de aeternitate, quae nullum initium habet, seu, uti *Philosophi* loquuntur, a parte ante; sed de aeternitate, quae nunquam terminabitur, seu, a parte post, quibus, ad minimum, id destruit, quod Rabbini statuunt, solium, gloriae divinae, ante mundum conditum, creatum esse. Tandem, R. Elieserem, cum antiquitate solii, gloriae divinae, quam ipse somnias, ad absurdum deducit, dum, ita, pergit: Si R. Elieser antiquitatem solii credidit, tum, solium, pro attributo DEI, non, pro attributo corporis alicujus creati, habendum erit: Nunc, autem, fieri non posse, existimat, ut, aliquid, ex attributo quodam, generetur. Quod argumentum, sequenti, potius, modo, concipiendum esset: Ante mundum conditum, nihil fuit, nisi ipse aeternus, atque gloriosissimus, DEVS; dato, itaque, solium ejus extitisse ante mundum conditum, necessario, illud attributum aliquod erit, majestas, scilicet, divina, seu imperium ejus, quae ipsa, autem, quoniam cum essentia DEI convertitur,

L

creatuum

(i) *Hist. arcae foederis*, cap. 14. Exercit. p. 138. (k) *Psalm. CIII*, 19.(l) *Ibren. V*, 19.

creatū quid, prorsus, admittere non potest. Jam, solio DEI, quod, ante mundum conditum, creatū singitur, exploso, cādunt reliqua, quae, porro, de eodem, a Rabbini, adducuntur. Si, enim, ejusmodi thronus, gloriae divinae, non existit, neque ipse sapphirinus, neque tabulae foederis, ex eodem excisae, erunt. Quare non videmus, quomodo, huic figmento, favere possint loca, Ezech. I, 26. & cap. X, i. quum, in utroque, tantum, aliqualis comparatio, cum sapphiro, instituatur. In priori, enim, dicitur: Porro, supra expansum, quod super capite eorum erat, כְּפָרָה אֶבְנָתָכֶם, sicut lapis sapphiri, quasi aspectus similitudinis throni; in posteriori, vero: Porro vidi, ecce, super expansō, quod super capite Cherubinorum, פְּאַמְּנָה, sicut lapis sapphiri, quasi aspectus similitudinis throni. Huic accedit, quod thronus DEI, Dan. VII, 9. tanquam flamma ignis, & rotæ ejus, tanquam ignis ardens, describantur, atque Apoc. XX, ii. non sapphirinus, sed albus, constituantur, ut adeo, & tabulae foederis, vel igneae, vel albae, dicendæ essent, quamvis, ultimum, Rabbini, sibi non obstat, existimant, quod, in sequentibus, explorabimus. Reliqua, quae R. Eliezer de nive, & antiquus liber, Pesikta, de luce Messiae, afferunt, quum, per se, corrunt, neque, refutatione digna aestimamus; oraculum, verò, illud, quod Exod. XXIV, 10. occurrit, & ad quod Rabbini, potissimum, se recipiunt, paulo curatus, erit introspicendum. Primo, itaque, loco, inquirendum est, an hic DEVIS, quia pedes ipsi adscribuntur, in forma humana, apparuerit, nec ne? Affirmat id BONFRERIUS (m); negant ABVLENSIS (n), &, ex Rabbini, MAIMONIDES (o). Bonfrerius existimat, ex verbis: Et sub pedibus ejus: verisimiliter, colligi, DEVIM, vel angelum, DEI personam, hic, referentem, forma humana, apparuisse, quia ipsi membra humana,

(m) Pentateuch. Mos. Comment. illustr. ad Exod. XXIV, 10. fol. 482.

(n) OO. I. c. ad Exod. XXIV. quæst. 13. f. 14. col. 2. (o) Doctore perplexorum, part. I. c. 27. pag. 34.

quamvis augusta, & majestatis plena, adaptantur. Recius *Abulensis*, cui nos, hac in parte, adstipulamus, & *Maimonides*, aliquo modo, (qui posterior, tamen, asserto suo, alium errorum admisceret,) statuunt, DEVM, hic, prorsus, sub quadam forma humana, non apparuisse, quum, alias, exinde, populus Israelicus, occasionem peccandi accipere potuisset, contra praeciputum primum, quo DEVS mandaverat, ne sibi sculptile illi facerent, aut ullam figuram, neque illorum, quae in coelo, neque illorum, quae in terra, neque illorum, quae sub terra, in aquis, existunt. Accedit huic, quod *Deut. IV, 15.* expresse, negetur, Israelitas ullam speciem, in promulgatione legis, vidisse. Hoc confessio, quaeritur: quid illa phrasis, *sub pedibus ejus*, denotet? responderet, accurate, *Abulensis*, respicere, illam, ad situm, & idem esse, ac *infra*, seu, *infimam partem nubis*, in qua DEVS se manifestavit. Ab his *Maimonides* non abludit, quando *Onkelosium*, magnis laudibus, evehit, quod, in loco illo, ubi dicitur: *Et, sub pedibus ejus, erat velut opus albedinis, lapidis sapphiri, vocem*, ita exposuerit, ac si solii cognomen esset. Atque, hinc, non vertit, *sub pedibus ejus*, sed, *sub throno, gloriae ejus*, ut sic, diligenter, & accurate, materia, vel corpus, ab ipso, penitus, removeatur. Quae omnia, in *Maimonide*, admitti possent, si, tantum, in *Onkelosii* interpretatione, acquiesceret, & verba, *sub pedibus ejus*, non ita explicaret, quasi idem sint, ac *ex causa ipsius*, h. e. per *eum*, &, propter *eum*. Quare, vero, hanc phrasin, ita, exponat, nunc experiemur, quando investigabimus, quid fuerit, *מַעֲשָׂה לְבִנֵּי רֹסֶפֶר*, seu *opus lateris sapphirini*, quod Nadab, Abihu, & Seniores Israelis, viderunt. Cum, autem, inferiorem solii, gloriae divinae, partem illud ipsum fuisse, jam refutatum sit, somnium hoc, merito, mittimus, & ad R. Salomonem, a CARTVVRIGHTO (p) citatum, nos convertemus, qui, hic locorum, de *vero latere sapphirino*, sermonem esse, existimat. Nugatur, enim, laterem hunc coram DEO

L 2 fuisse,

(p) *Notis ad b. l. quae habentur Tom. I. Part. I. Critic. S. p. 572.*

fuisse, cum Israelitae duram illam servitutem, conficiendis lateribus, in Aegypto, patiebantur, ut is, hac ratione, in animo retineret, quam, moleste, illi, in laterum confectione, laborarent. Prudentius, se facturum, MAIMONIDES (q) putat, si illam viam ingrediatur, & statuat, id, quod Nadab, & Abihu, atque Seniores populi, Israelitici, apprehenderunt, fuisse materiam primam, quae a DEO, benedicto, est immediate, quoniam, nimirum, ipsa phrasis, *sub pedibus ejus*, sensum hunc suppeditare videatur. Rationem sententiae suae eam, insuper, addit, quod Moses, si nudum, voluisse, colore, vel speciem externam, innuere, simpliciter, scribere potuisset: *sicut albedo sappiri*; nunc vero, adjecisse: *sicut opus*, quia materia, natura sua, semper, recipit (formas,) & patitur, nunquam, vero, agit, nisi per accidens; *sicut forma*, semper, agit, per se, nunquam, autem, patitur, nisi per accidens. Ex quibus apparet, sequi, hic, Maimonidem, Principem Philosophorum, Aristotelem, quare, etiam, hujus Libros Physicorum allegat, quamvis ejus materia prima, ad hanc usque diem, dubia sit, ut, adeo, secundum illam, hic Scripturae S. locus explicari non possit. Si, vel maxime, autem, materia prima, Aristotelis, in salvo esset, nondum, tamen, Maimonides evinceret, Nadabum, Abihu, & Seniores populi, Israelitici, eandem, in monte Sinai, apprehendisse. Attendamus, saltem, descriptionem hujus materiae, ab ipso ARISTOTELE (r) suppeditatam, quae, ita, sonat: λέγω δὲ ὅλην, οὐ καθ' αὐτὴν μήτε τι, μήτε ποσὸν, μήτε ἄλλο μῆδεν λέγεται, οἷς ὥρισα τὸ δύο. ἐσὶ γάρ τι καθ' ἡ κατηγορεῖται τέτων ἔκαστου, ὃ τὸ ἕνα, ἔτερον, καὶ τῶν κατηγορῶν ἔκαστη. τὰ μὲν γάρ ἄλλα, τῆς δοκιμασίας κατηγορεῖται· αὗτη δέ, τῆς ὅλης. ὡς τὸ ἔχατον, καθ' αὐτὸν δέ τε ποσὸν, δέ τε ἄλλο δέν εἰν. i. e. Materiam, autem, eam dico, quae, per se ipsam, neque quid, neque quantum, neque quicquam, eorum dicitur, quibus ens definitum est. Est, enim, quippiam, de quo horum singula praedicantur, cuius esse,

ab

(q) l. c. Part. I. c. 27. p. 34. (r) Metaphys. Lib. VII. c. 3.

ab unoquoque praedicamentorum, diversum est; cetera, enim, de substantia praedicantur; haec, vero, de materia. Itaque, id, quod ultimum est, neque quid, neque quantum, neque aliud quicquam, est, per se. Unde, tandem, colligimus, quum materia prima, seu, quod ultimum est, ex mente Aristotelis, neque sit quid, neque quantum, neque aliud quicquam, per se, eandem, in monte, Sinai, videri non potuisse. Remanet, itaque, verissima omnium sententia, suppedaneum hoc, quod opus, lateris sapphirini, imitabatur, fuisse colorem, huic gemmae proprium, quem, denuo, Rabbini determinare nesciunt. Multi, ex ipsis, eundem album faciunt, hoc arguento nixi, quod, in loco citato, vox לְבָנָה, legatur, quae a radice, חַלְבִּין, albuit, albus evanis, dealbarit, descendit, & laterem, ab albo ita dictum, significat, quia, dum igne excoquitur, albescit, quae ratio Maimonidem, quoque movit, ut verba, loci allegati, ita reddat: *sicut opus albedinis sappbiri.* Sed, iterum, nodum in scirpo quaerunt, dum, pro latere, albedinem ponunt, quia, ab eadem, later denominatur, quum, tamen, hic, lateris color, ad sapphirinum restringatur. Maimonides, uti in omnibus, paulo cautius, prae reliquis Rabbinis, sese gerit, ita, & hic, non stricte, colorem album, sed potius, pelluciditatem, & splendorem, indigitari, existimat. Alii, eo, cum sua albedine, progrediuntur, ut lapidis sapphiri, a Spiritu S. commemorati, prorsus, obliscantur. Refert, enim, R. DAVID KIMCHI (s), a Cartwrighto adductus, R. Saadiam velle, lapidem סְפִיר album esse, &, lingua vernacula, dici שְׁטָחֵר קָרִיר, Chrystallum, in Midrasch, autem, traditum esse, addit, malleum, percutiendo hunc lapidem, סְפִיר, fuisse confractum, & incudem diffissam, lapidem, autem, integrum, & illaesum, mansisse, ex qua lapidis descriptione, eum, pro adamanter, tanquam gemma albicante, & pura, habendum esse, judicat. Ab horum opinionibus, recedit Aben Ezra, apud DRV-

SIYM (t), qui, expresse, negat, sapphirum candidam esse, neque, tamen, ipse, de colore sapphiri, recte, sentit, quod, ex verbis illius, quae, hic, apponemus, colligere licet: *Dicit Haggai, inquit, sapphirum, aspectu, candidam esse, quod non est ita. Nam est rubea. Quod si est albedo, cur dicit, sicut opus. Nam dixisset magis, sicut aspectus. Et rectum est, ut לְבָנָתִים לְבָנָתִים, later, quemadmodum חַשְׁבָתִים obsecritas.* Quomodo cunque, autem, Rabbini, suas sententias, de colore sapphiri, pingant, falluntur, tamen, quam maxime, quando eundem aliut, quam nos solemus, faciunt. Constituimus hunc, Excell. VATERO (u) praeente, coeruleum, elegantissimum, & diaphanum, quem, hic, attendi debere, ipse, Experientissimus Vir, monet, dum adjicit, veteres, sapphirum geminam, teste Epiphanius, ingenti pretio habuisse, & legem, a DEO, primitus, sapphiro inscriptam, perhibuisse. Quod, vero, color coeruleus sapphiro, in oraculo adducto, sit tribendum, inde evincimus, quod Graeci, & Latini, vocem sapphiri, ab Ebraeis, acceperint, sicque, hac ratione, in gemma, hoc nomine insignita, non differant. Accedit, quod Scriptura, in sequentibus, se ipsam explicet, quando addit, & velut corpus ipsum, coeli nitore, ut adeo, neque thronus DEI creatus, neque pavimentum, vere, sapphirinum, hic, sit quaerendum. Causam, tandem, quare, sub pedibus DEI, opus, quasi, stratum sapphirinum apparuerit, cum CORNELIO A LAPIDE (x), facimus representationem majestatis divinae, quae omnem coeli, & gemmarum, fulgorem, ac splendorem, longe, transcendent, & pedibus premit. Aptum, vero, huic representationi fuisse colorem sapphiri, multis argumentis, ex antiquitate deponit, idem Cornelius probat, quae, quum ad scopum nostrum non faciant, hic, praetermittimus. Atque, sic, concusso, lucidum, & destru-

(t) Notis majoribus, ad b. l. Criticorum S. tom. I. part. I. p. 568. (u) Physiol. parte spec. sect. V. cap. 7. p. m. 368. (x) Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXIV, 10. f. 502. col. 1.

& destructo, fundamento Rabbinorum, cui sententiam suam, de sapphirina, tabularum foederis, materia, superstruunt, haec ipsa, quoque, opinio ruit, ut, adeo, sentiendum sit, nullo modo, probari posse, tabulas hasce sapphirinas fuisse. Solemne, interea, Rabbinis est, res, sanctiores, sapphirinas statuere, cuius asserti exemplum, esse potest, *baculus Mosis*, de quo, si commenta Rabbinorum evolvere placeat, BITTELMAIERVS, & WILLEMERVS (y), conferri merentur.

§. VI. Quum, itaque, Rabbini, sententiam suam, de sapphirina, tabularum foederis, materia, adstruere non sustineant, quidam eorum, LVNDIO (z) teste, illam deserunt, &, tabulas nostras, ex *lapidibus albicantibus*, sapphirosumilibus, confectas fuisse, contendunt. Ast, & illi, in superioribus, jam, sunt refutati, siquidem, pro fundamento, habent vocem בְּבִנָה, ex qua, tamen, id, quod volunt, extorquere non possunt. Ulterius, *Mubammedani* quidam, auctore HOTTINGERO (a), progreditur, & tabulas foederis *Smaragdinas* faciunt, quam in rem, laudatus vir, LEVVIN, WARNERVM (b) adducit. At enim vero, in sententia ipsorum, illud, potissimum, desideratur, quod nullas afferant rationes, quibus opinionem suam stabilire, atque communire, valeant. Praefstat tamen, horum assertum, illo, quo alii *Mubammedani*, Scripturae S. contradicentes, tabulas foederis *ligeas* fuisse, somniant, quorum, idem Hottingerus in editionem injicit. Porro, alii *marmor*, prae reliquis lapidibus, eligunt, inter quos, judicio *Osiandri*, est *Jonathan*, in *Targum*, qui ipse, tamen, uti idem *Osiander*, de eo, adnotat, hac in re, sibi non constat. In tanta, itaque, rei varietate, quidam ad specialissima descendere noluerunt, sed, in specialioribus substituent, affirmaruntque, tabulas foederis, ex lapide aliquo pretioso, confectas fuisse. Ita sentit Auctor libri *Cofri* (c), cuius verba ita

(y) Dissertationibus, de baculo Mosis. (z) von denen alien jüdischen Heiligtümern, lib. I. cap. 15. n. 9. f. 74. (a) Thes. Phil. lib. II. sect.

II. p. 549. (b) Compend. Hist. de Christo, append. Theol. p. 47.

(c) Part. I. §. 87.

הַקְרֵב עֲשָׂרֶת הַדְּבָרִים הַאֲלֹהִים בְּשַׁנִּי לְזֹוחָה אֶבְנִים : וְקָרוֹת : Decem illa praecepta insculpsit (DEVS), in duabus tabulis, e lapidibus pretiosis, cui *Corn. a Lapide, Lundius*, aliisque, se adjungunt. Et, sane, si verum est, quod DRVSIVS (d) annotat, בְּנֵי, aliquando, pro gemma, usurpari, conjectura haec non, omni, destituitur fundamento, maxime, cum & *Arabs*, uti §. II. monstravimus, pro lapidibus, gemmeas tabulas substituat. Sed &, hic, monendum, ultra probabilitatis speciem, ascendere non licere, quum alii, iterum, reperiantur, qui lapides, tabularum foederis, simpliciores suisse, contendunt. Et, inter hos, quidem, in primis, SALVIANVS (e), est referendus, qui tabulas Mosaicas, rupeas paginas, & saxeum volumen, nominat, nec non *Osiander*, qui, sigillatim, inculcat, quod ad gemmarum nobilitatem progredi, hic, non possimus. Apodictice, & omnium certissime, praeeunte Scriptura, statuitur, tabulas foederis habendas esse pro lapideis, abstrahendo, & a lapidibus pretiosis, & simplicioribus, in qua sententia, quum, ulterius, progredi non liceat, & nos acquiescimus. Causae, tandem, quare DEO, p[ro]ae aliis rebus, in conficiendis tabulis foederis, lapidem, praecise, eligere placuerit, licet, & ipsae, fere nos lateant, multumque, adeo, incertae sint, probabiles, tamen, &, prorsus, non contemnenda, a Scriptoribus nonnullis, allegantur. Quidam, enim, existimant, respexisse DEVM ad duritatem cordis humani; quidam, ad impossibilem legis impletionem; alii, iterum, putant, fecisse DEVM hoc, cum, ad notandam legis illius stabilitatem, tum, ad impellendum homines, ut, sancte, legem datam observarent, quae, quum alias fori esse videantur, fusiori, jam nunc, stylo prosequi, supersedemus.

§. VII. De figura, qua tabulae Mosaicae instructae fuerint, Scriptura nos non informat, imo, nec ipsi Rabbini, & Osiander, nobis, de eadem, aliquid suppeditant, nisi, quod posterior, duplicitis, tabularum foederis, figurae, mentionem faciat,

utram-

(d) *Not. ad Ex. XXIV, 12. Crit. Sac. l. c. p. 569.* (e) *de Gubernat. Dei, l. I.*

utramque, vero, ita effigiatam, commemoret, ut nullum, nisi  
in scriptione, deprehendi discrimen potuerit. De numero, ha-  
rum tabularum, certiores, vel eam ob causam, esse possumus,  
quod Scriptura, expresse, adstruat, easdem *duas* fuisse, uti, ex *Exod.*  
*XXXI, 18. cap. XXXII, 15. Deut. IV, 13. & Cap. X, 1.* ad oculum pa-  
tescit. Hac, autem, utut meridiano sole, clariora sint, ha-  
bent, tamen, *Rabbini quidam*, qui nimium sibi sapere videntur,  
quod moveant. Concedunt, namque, *TOSTATO* (f) refe-  
rente, tabulas foederis, non male, duas statui, ita, tamen, ut  
unus quidem lapis fuerint, sed, aliquando, tanquam una, aliquan-  
do, etiam, tanquam duae, comparuerint. Fons hujus figimenti  
est, quod tabulae dicantur *להות האבן*, seu, *tabulae lapidis*,  
quem, tamen, *Abulensis* ita obstruit, ut, si sani sint, errorem  
agnoscere non detrectent. Accurate, enim, docet, lapidem,  
hic, significare *naturam*, non *individuum*; scilicet, quod illae  
tabulae, Mosi datae, ex lapide confectae fuerint, sive lapides  
multi, sive unus esset. Imo, si, vel maxime, concederetur,  
notari, hic, per lapidem, individuum, id, potius, *Tostatus*, sta-  
tuendum esse, ostendit, duas tabulas, ex uno lapide, in duas  
partes diviso, dolatas fuisse. Omnia optime, haec lis, ex *Gram-  
matica*, componitur, quae nos instruit, quod *Adjectiva*,  
saepius, periphrastice, ex *Substantivis*, fiant: secundum quam  
regulam, si verba, *להות האבן*, ita explicitur, ut *tabulas lapi-  
deas* notent, Rabbinorum nugae, sponte, &, nobis non monen-  
tibus, evanescent. Quamobrem, autem, *DEVS* legem tabulis  
duabus, & non una, comprehendenterit, id, hactenus, certo, non con-  
stat, quanquam *Abulensis* duas rationes, in medium, proferre, an-  
nisis fuerit. Prima est, quod tabula una, si *DEVS* totam le-  
gem, literis maiusculis, eidem inscripsisset, justo major, gravior,  
& portatu difficilior, evalisset; altera, vero, quod, pro dupli-  
calogi objecto, *DEO*, nimirum, & homine, binae, etiam, sine  
dubio, distinctaeque, tabulae adornandae fuerint. Jungi his pot-  
erat

M

(f) *I. c. quaest. 15. fol. 17.*

erat *tertia, figura*, nempe cordis humani, cui DEVS legem naturae insculpsit, quod ipsum, quoque, in duos ventriculos, &, quasi, tabulas, distingvitur, ut, adeo, sanctissimum Numen, hujus, rationem habuisse videatur.

*S. IIX. Mensura* tabularum Mosaicarum ita comparata est, ut, si, hoc in momento, ad mensuram arcae foederis respicere nolimus, de eadem, vix quicquam, &, ne per conjecturam quidem, pronunciari queat. Neque, etiam, ulla, ut id praestemus, necessitas nos adgit, quum tabulae priores, nunquam, in arcam sint repositae, atque, adeo, universa haec tractatio, ad posteriores foederis tabulas, commode, reservari possit. *Pondus*, potius, tabularum, paucis, hic, attingendum esse, opinamur. *ABVLENSIS*, (g) id ipsum, generaliter, determinat, dum statuit, leviores illas fuisse, & ita comparatas, ut Moses easdem, absque omni molestia, manibus suis, portare potuerit. Suffragatur isti *CORNELIVS a LAPIDE*, qui hoc, insuper, pro levitate, tabularum foederis, evincenda, argumentum suppeditat, easdem, si, ponderosae admodum, fuissent, fundum arcae, successu temporis, perfringere potuisse. Et, sane, si, de pondere nostrarum tabularum, aliquid dicendum est, in hac ipsa, ut acquiescamus, sententia, necessum erit, quum ad specialiora, tacente Scriptura, progredi nobis non liceat. Inepti, itaque, sunt illi, qui, *Toslato teste*, existimant, nullum hominem illas portare potuisse, hincque Mosen, per miraculum, easdem, ex monte Sinai, detulisse. Recipiunt se, autem, ad Scripturam, pro more, *Rabbinis*, maxime, usitato, qui, quando, a litera Scripturae, recedendum esset, eidem, firmiter, inherenter, sicque innumeratas fabulas consingunt; quando, vero, in litera permanendum, ab illa, longissime, recedunt, atque, hac ratione, utroque modo, Scripturae vim inferunt. Cum, itaque, *Exod. XXXII. 15.* dicatur: *בְּרוּת שָׁעַת לְחֹות בְּרוּת שָׁעַת*, &, duae tabulae

(g) *l. c. ad Exod. XXXII. quæst. 19. f. 208.* (h) *Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXXII. 15. f. 580. col. 1.*

bulae testimonii, in manu ejus; somnium suum, exinde, elicere allaborant. Sed conferre debuissent, Deut. cap. IX, 15. & 17., ubi, conceptis verbis, affirmatur, Mosen, utraque manu, tabulas foederis portasse. His non, multo, prudentior est *Jonathan*, a DRVSIO (i) adductus, qui pondus earum quadraginta sata fuisse, afferit. Miramur, certe; unde, Vir hic, tantam hauserit sapientiam, ut id, quod nemo scire poterat, exacte, definire queat. Optime, itaque, rebus suis consuluisset, si & fundatum sententiae suae adjecisset, & pondus, quod tabulis ille adscribit, aliquantulum clarius exposuisset. Legimus, equidem, in ipsa Scriptura S. aliquid de ~~sato~~, seu *sato*, vix, tamen, hanc vocem de *ponderibus*, sed, potius, de *mensuris*, usurpari, reprehimerim. LIGHTFOOTVS (k) satum describit, quod sit mensura aridorum, quarum tres, Epham confiant, & una, secundum quosdam, modium Romanum; secundum alios, vero, sesquimedium, in se, contineat. Cumque, adeo, de pondere sati, certi quid, nihil constet, non videmus, quomodo *Jonathan* audierat statuere, pondus, tabularum foederis, ad XL. praecise, sata, se extendisse.

§. IX. Nobilissimum, &, notatu, dignissimum, quod, in tabulis foederis, considerandum occurrebat, erat Scriptura divina, cuius auctor, & scriptor, hic, potissimum, attendendus erit. Quemadmodum, vero, nobis, quum de auctore tabularum foederis ageremus, maxime, lis, cum Rabbinis, Angelum ductorem excludentibus, intercedebat; ita, hic, cum TOSTATO, ALPHONSO, Abulensi Episcopo, cui ESTIVS (l), aliquique, accedunt, pugnandum erit, utpote qui scriptorem, tabularum foederis, angelum creatum facere non veretur. Inculcat hanc sententiam, variis in locis, & variis, insimul, argumentis, eandem adstruere, atque pingere, conatur. Existimat, enim (m),

M 2

DEVVM

(i) *Notis ad Exod. XXXI, 18. Crit. Sacr. l. c. p. 782.* (k) *OO. Tom. I. Harmon. in IV. Evangelist. Part. II. f. 410. 411.* (l) *Comment. in omnes Pauli & VII. Carbol. Apost. Ep. ad Gal. III, 19. f. 567.* (m) *l. c. ad Exod. XXIV. quaest. 16. f. 17.*

DEVM horum nihil, per se, agere, cum ministros multos habeat, quod ipsi, adhuc, evincendum erat. Saepius, namque, ipsemet Rex istiusmodi perficienda suscipit, quae per ministros, alias, curare potuisset. Praeter haec, etiam, probe notandum est, quod actio DEI non sit cum actione humana comparanda, quum homo labore, DEVS, autem, verbo, & mando, solo, omnia producat. Praeterea, sibi ipsi, *Abulensis*, non constat, quippe qui, antea, videbatur concessisse, DEVMI, non angelum, tabulas foederis fabricasse. Quomodo, autem, perficere illud potuisset, si non ipse talia, per se, ageret, quamvis, nihil certi, ex ipsius verbis, elici queat, quum, perpetuo, vocabulo DEI, ludat. Porro, contendit (n), ex Galat. III, 19. patere, omne id, quod, in dando legem, actum est, angelos expedivisse. At, enim, vero, suppositum illud est falsissimum; siquidem, ille locus, nihil aliud evincit, quam, quod, angelorum opera, lex ordinata, atque disposita, fuerit; nullo modo, autem, quod omnia, quae, circa legem, occurrunt, angeli peregerint. Est, namque, hic locus illustrandus, ex Deut. XXXIII, 2. ubi ipse Moses asserit, venisse DEVMI ex, vel cum, myriadibus sanctitatis, ex quibus, tamen, verbis, nemo, unquam, solide, probabit, angelos vel tabulas fabricasse, vel iisdem, minimum, legem inscripsisse. Breviter, hic locus, angelis, circa legislationem, ministerium adscribit, ita, tamen, ut ista, quae, expresse, DEO, circa promulgationem legis, in Scriptura S. tribuuntur, ipsi propria relinquantur. Hae erant rationes *Abulensis*, quibus meliores, nec ipse ESTIVS, adducere potuit. Ad nos, autem, quantum attinet, omnino, arbitramur, argumenta, multo, validiora, pro contraria sententia adstruenda, nobis in promptu esse. Generaliter, quod non omnia, circa legem promulgandam, angeli perfecerint, vel sequentes COCEJI (o) rationes, *Socinianis*, quibus, hic, Pontificii frigidam

(n) *ibid. ad Exod. XXXII, 19.* (o) OO. Tom. IV. Scholis in Act. A. post. ad Cap. VII, 38. §. 15. f. 339.

frigidam suffundunt, oppositae, commonstrant. Urget, quippe, laudatus vir, nullum, hic, apparuisse angelum, tanquam legatum DEI, quum nulla species visa fuerit, & inutile, prorsus, sit, dicere, ibi fuisse representationem DEI, ubi DEVS ipse praesentem se exhibuit, & nemo, vice ipsius, comparuit. Addit, tandem, impossibile esse, &, cum veritate, pugnare, ut angelus, servus, in loco, tam illustri, in ea DEI manifestatione, qua de coelo prospexit, dicitur: *Ego sum Iehova, DEVS tuus*, quum dicendum fuisset, *Ego veni, in nomine Iehovae, DEI tui, cujus haec mandata, ad te, habeo.* Quod, vero, ipse DEVS, quemadmodum decem verba elocutus est, & tabulas fabricavit, etiam, legem illis inscriperit, sequentibus, ex verbo DEI petitis, argumentis, firmiter, adstruitur. Prius est desumptum, ex *Exod. XXXI, 18.*, ubi tabulae Mosaicae dicuntur, *לְחוֹת אֵין תִּבְרַעַת אֶלְחִי* *tabulae lapideae, scriptae, digito DEI.* Nunc, autem, angelii, nunquam, dicuntur digitus DEI, quare, tabulas foederis ipsos scripsisse, nequaquam asseverandum est. Posteriorius est petitum, ex *Exod. XXXII, 16.* quo in loco haec verba leguntur: *הַמְכַתֵּב מִכְתֵּב אֶלְחִי הָוֵא תְּרוֹתֵךְ עַל־הַלְּחֹזֶת*, *Scriptura (tabularum) erat Scriptura DEI, excisa super tabulis, quae, ita, clara sunt, ut ipse Abulensis nesciat, quorsum se recipiat.* Principium, enim, petit, quando, ad hunc locum, annotat, tabulas, a DEO creatas, Scripturam, vero, postea, ab angelo, insculptam fuisse. Quicquid, itaque, *Tostatus, Estius, aliquie, moliantur, id, tamen, Scriptura duce, verum manet, DEVUM ipsum, decem verba, tabulis foederis inscripsisse.*

§. X. Qua ratione, DEVS, Decalogum tabulis insculperit, eadem Scriptura, iisdem in locis, exponit. In priori, docet, exarasse DEVVM tabulas foederis, *digito suo*; in posteriori, refert, eundem, *ab utraque parte*, illas scripsisse, literasque iisdem insculpsisse. Quod ad *digitum DEI*, quo tabulae scriptae dicuntur, attinet, quum non, uno digito, scribamus, multi, quidem, hic, Enallagen numeri locum habere, existimarent; *Bochartus, vero,*

vero, melius, *digitum*, *Synecdochice*, pro *integra manu*, accipiendum esse, statuit. Habere, vero, DEVM, proprie, *digitum*, vel manum, nemo, qui eundem Spiritum esse, credit, concedet, unde, quod hic ὀνθεωποπαθῶς dicitur, Θεοπρεπῶς, ut in aliis Scripturae S. locis innumeris, est intelligendum. Impingit, itaque, judicio MAIMONIDES (p), *Onkelos*, quando, Textum Ebraeum, secundum literam, ita reddit, *scriptas digito DEI*, quod, equidem, ipsum erroris, nondum, convinceret, nisi, per digitum DEI, aliquid externum, ad DEVM relatum, inteligeret, & eundem, pro instrumento aliquo creato, quo tabulae, voluntate DEI, sculptae fuerint, haberet. Ast, tantum abest, ut *Onkelos* solummodo, hac in re, censuram mereatur, ut, potius, ipsi *Doctores Talmudici*, omnium primo, culpandi sint, quod Scripturam, tabularum foederis, inter decem res, vespera Sabbathi, creatas, retulerint, sicque, reliquis ansam, fragmentis figmenta addendi, subministraverint. Ita LEVSDENIVS (q) annotat, vocem חמקתב plurimos, *Scripturam tabularum foederis*; *Iarchium*, vero, non *Scripturam tabularum*, sed *stylum*, quo tabulae scriptae fuerint, interpretari, huncque, vespera Sabbathi, creatum esse, contendere. Verba ipsius, a Leusdenio aducta, ita sonant: עט הסופר גירפצת ב' לעש שבו חקוק עשר עט אוחו עט נברא מקודם הרבות על לוחות שנותנו למך עט הלוחות הראשונות: ונט הלוחות הראשונות: i.e. Et stylus scribæ lingua vernacula vocatur *Gripba*, quo exarata sunt decem verba Decalogi, in tabulis, quae datae sunt Moysi, praceptoris nostro, supra quem est pax. Ille ipse stylus creatus est a principio, etiam tabulae priores. Sed, hac de re, prorsus, nihil habet Scriptura, quae *digito DEI*, non *stylo*, vespera Sabbathi, creato, legem tabulis inscriptam esse, asserit. Melius, igitur, hanc phrasin illi explicant, qui *digitum DEI*, cum Ainswortho, pro *Spiritu S.* habent, eundemque, collective, pro *digitis*, quibus varia *Spiritus S.* dona significantur,

accipi-

(p) *More Nevoch. Part. I. c. 66. p. 119.* (q) *Not. ad Capita Patrum & quidem ad Cap. I. num. 6.*

accipiunt. Fundamentum hujus sententiae, *Luc. XI, 26.*, reperiatur, ubi, optimus noster Servator, miracula sua, contra falsas Iudeorum criminationes, vindicans se, εν δαυτύῳ Θεῷ, dígito DEI, daemonia ejicere, ostendit, quae verba, *Mattæus cap. XII, 28.* expresse, per πνεῦμα ἄγον, seu *Spiritum S.*, interpretantur. Certum, itaque, est, *Spiritum S.*, quandoque, digitum DEI nominari, id, tantum, in disceptationem, adhuc, venit, an, nimis, & hic, sub digito DEI, sit intelligendus? Et, sane, si dicendum, quod res est, cum *MENOCHIO*, & *RIVETO* (r), sentiendum erit, nullas nos rationes urgere, ut huic interpretationi subscribamus, quamvis, *Spiritus S.*, tanquam persona divina, hic, non sit excludendus. Sine dubio, enim, tabulae nostræ, eodem modo scriptæ, quo fabricatae, fuerunt. Nunc, autem, jam supra demonstravimus, solo omnipotenti DEI verbo, easdem adparatas fuisse, quare & *Scriptura illarum*, eodem modo, ipsis insculpta videtur. Et his, ita, praestructis, sensus verborum, quod *DEVS* tabulas, dígito suo, scripsérunt, iste, demum, erit, *DEVM*, immediate, verbo suo, omnipotenti, scripturam tabulis insculpsisse, quemadmodum *Psalms. IX, 4.* ipsos coelos, digitis suis, elaborasse, dicitur, quod, tamen, verbo Domini, factum fuisse, *Psalms. XXXIII, 6.* commemoratur. Atque, sic, hoc suo, omnipotenti, verbo, *DEVS* effecit, ut *Scriptura* קְרָבָה, insculpta esset in tabulas foederis, quae vox non *expositionem*, sed *impressionem*, & *excavationem*, aliquam notat, uti id *Paulus*, clare, explicat, quando *2. Cor. III, 7.* dicit: *quod lex fuerit ἐντυπωμένη εν λίθοις, in lapides, quasi, impressa, quemadmodum, a cultrariis, signa quaedam, ferreo stylo, cultris, impri-* muntur. *Scripturam* ipsam, tabulis insculptam, *Rab. Juda Leo*, a *LVNDIO* (s) citatus, *nigram Assyriacam* facit, unde illi, qui, Ebraeas literas primaevas fuisse, inficiantur, argumentum, pro sententia sua, adstruenda, desumunt. Nos item illam, quae  
hujus

(r) *OO. Theol. Tom. I. Comment. in Exod. ad cap. XXXI, 18. f. 117.*

(s) *I.c. num. 22. 23. 24. f. 76. 77.*

hujus loci non esse videtur, mittimus, & Auctores, a Lundio, hanc in rem, citatos, commendamus; id, tamen, insimul, monemus, Assyriacas has literas, non alias fuisse, quam Ebraeas, quibus nos nunc, adhucdum, utimur. Solide, id, praeter Buxtorfum, Carpzovium, Wasmuthum, Leusdenium, Coccejum, & alios, adstruxit LIGHTFOOTVS, *Anglus celeberrimus*, (t), quando, ex Talmudicorum, & Rabbinorum, Scriptis ostendit, Iudeos per lingvam Ebraeam, non illam, quae Israëlitis propria fuit, aut antiquam scripturam, sed characterem, *Trans-Eupratenibus* usitatum, intelligere; *Assyriacas*, vero, literas, pro genuinis *Ebraeis*, quibus, huicdum, lex scripta est, habere. Patet id exinde, quod Rabini statuant, tempore Mosis, tabulas foederis, & librum Legis, literis *Assyriacis* scriptum fuisse, quam Scripturam, sub templo secundo, ob negligentiam, & delicta, populi, in *Trans-Eupratensem*, vel *Samariticam*, vel etiam *Cananæam*, mutatam esse, equidem, sed sine fundamento, contendunt. Id, tamen, haud gravatim, largiuntur, Ezram non peregrinos characteres introduxisse, sed literas, potius, primaevas *Assyriacas*, quas & nunc habemus, restituisse, *Samariticæ*, vero, seu *Trans-Eupratenæ*, idiotis, quos, R. Chasda, *Samaritanos* vocat, reliquisse, quorum characteres, tamen, Morinus, Waltonus, Cappellus, Drusius, Grotius, aliquique, nobis, pro antiquis *Ebraeis*, obtrudere conantur. Constat, igitur, tabulas foederis, literis Ebraeis, quadratis, conscriptas fuisse, utrum, autem, nigro, praecise, colore, eaedem tinctæ fuerint, R. Leo vix probabit, quum, verisimilius, videatur, illas colorem lapidis istius, cui incisæ erant, retinuisse. Ceterum, hic, probe, adhuc, est notandum, quod tabulae nostræ dicantur **מְשִׁנֵּי עֲבֹרִיתָן מִזְוָה**: **לְחוֹזֶת כְּתַבּוֹת** **מְשִׁנֵּי עֲבֹרִיתָן מִזְוָה**: **וּמִזְוָה כְּתַבּוֹת**: tabulae scriptæ ex duobus lateribus suis, hinc, & iltinc, scriptæ, quorum verborum explicatio, apud Interpretes, admodum, diversa est, quum alii, τὸν ὑπέρ, per latus, alii, per partem, alii, per paginam, & alii, adhuc, per transitum, interpretentur.

(t) Tom. II. OO. Horis Talm. in Matth. V, 18.

tentur. Quemadmodum, vero, Critici, in translatione, ita &, in explicatione, horum verborum, non parum, a se invicem, dissentunt, quorum sententias, ordine, jam recensebimus, atque, tandem, qualecunque nostrum judicium subjiciemus. Quidam, quos *Lundius* approbat, existimant, in utroque latere, totum Decalogum fuisse descriptum, ut a consistentibus, ab utraque parte, Mosenque circumdantibus, legi potuisset, quibus illi jungendi sunt, qui scripturam tabulas penetrasse, vel, saltem, ob pelluciditatem lapidis, ex altera parte, visam fuisse, sentiunt, quae mens est *R. Salomonis*, a *LYRA* (u) allegati, quamvis, obscurioribus verbis, hic utatur. Neutra, vero, harum opinionum, vel ulla probabilitatis specie, se commendat. Tabulae, enim, non, eum in finem, adornatae fuerunt, ut publice, ab omnibus legendae, prostant; sed, ut, tanquam testimonium, percussi, inter DEVM, & populum Israeliticum, foederis, in arca affervarentur. Neque, etiam, literae ita perfringi potuerunt, quum, alias, vacuum, literae ~~—~~ spatium excidisset: vel, si literae, aut, ob pelluciditatem lapidis, aut, ob fractionem, ex altera parte, apparuissent, tabulae ipsae deformatae fuissent, quum characteres non aliter, quam inversi, videri potuerint, nisi ingens miraculum, de quo Scriptura nihil refert, hic, finendum esset. Atque, hinc, ipse *R. Aben Ezra* commentum hoc, exinde, in primis, refutat, quod non dicatur, literas, ab utraque parte, visas, sed Tabulas, ab utraque parte, sculptas, fuisse. Alii, ab uno extremo, ad alterum, prolabuntur, &, per utrumque tabularum latus, dextrum, & sinistrum, intelligent, ita, ut, tantum, anterior, Tabularum foederis, pars, Decalogum, digito DEI, scriptum, comprehendenterit. Favere huic sententiae quosdam *Ebraeos*, *CARTVVRIGHTVS* (x), ex *Buxtorfio*, commemorat, quibus ipsum *Buxtorfum*, *Rivetum*, & *Osiandrum*, accedere, merito, miramur. Rationes, sane, quas

N afferunt,

(u) ad *Exod. XXXII*. (x) *Notis*, ad *Exod. XXXII*, 15. *Crit. Sacr. h.c. p. 811. 812.*

afferunt, adeo, praegnantes non sunt, ut nos in sententiam hanc perducere valeant : Quod, enim, Oleaster annotat, עֲבָרִים, proprie, ante, significare, hincque, תְּבִרֵיָה, duas Tabularum facies, innuere, ea res uberiori, adhuc, probatione, indiget, in primis, quum, ex collatione Lexicorum, appareat, quod עֲבָרִים, proprie, non tam ante, quam trans, significet. Ast, si, vel maxime, & id largiamur, ipsi, tamen, propriis suis verbis, se conscient, quia, hac ratione, non in utraque facie tabularum, sed, saltem, in interiori parte, ab utraque facie, Decalogus, a DEO, scriptus dicendus esset. Neque id, quod de majori reverentia, & custodia, tabularum, addunt, ipsis praesidii quicquam subministrat, quoniam tabulae, mox, in arcam reponenda, ibique, custodienda, erant. Optima, itaque, sententia est, illorum, qui Tabulas foederis, ab utraque parte, conscriptas fuisse, existimant, in quorum numerum Iosephus (y), R. IUDA LEO (z), CARTVVRIGHTVS, BONFRERIVS (a), ALPHONSVS TOSTATVS (b), aliique, sunt referendi. Militat, pro ipsis, clara Scripturae S. litera, quae, לְתֹבַעַת, tabulas, non interius tabularum latus, ab utraque parte, conscriptas fuisse, asserit. Nec, tamen, hi omnes, dum ad specialiora progrediuntur, una incedunt via, sed, potius, in duas classes dispescuntur. Indaei, enim, quum, in unamquamque tabulam, quinque praecepta insculpta fuisse, sentiant, horum, quinque praeceptorum, dimidiā partem, in una, & dimidiā, in altera cujusque tabulae facie, collocant. Abulensis, vero, qui, nobiscum, alteri tabulae tria, & alteri septem, praecepta, tribuit, in, prioris tabulae, adversa parte, duo praecepta, &, in aversa, tertium; in posterioris, autem, latere uno, quatuor, &, in altero, tria, ponenda esse, censet; cui, cum meliorem sententiam, non inveniamus, haec tenus, assentimur.

## §. XI.

(y) *Antiqu. Iudaic. Lib. III. cap. VI.* (z) *de Templo, Lib. III. Cap. I. §. 5.* (a) *I. e. ad Exod. XXXII, 15. fol. 549.* (b) *I. e. ad Exod. XXXII, quaeß. 22. fol. 240.*

§. XI. Res ipsae, tabulis comprehensae, decem praecepta fistebant, quod ex Exod. XXXIV, 28. Deut. IV, 13. & c. X, 4. innotescit, & quidem, eodem modo, literis, consignata, quo ipse DEVS, Exod. XX., illa, coram toto populo Israelitico, clara voce, elocutus erat. Dicuntur, alias, haec decem praecepta, שְׁבָרִת הַקּוֹדֶשׁ, decem verba, ita, tamen, ut, HOTTINGERO (c) auctore, דְּבָרֵךְ, non tam verbum, quam sententiam praecipientem, principalem, seu primariam, significet; qua ratione idem sunt, ac decem praecepta, sicuti & λόγος, apud Gracos, orationem, potius, quam vocabulum, sonat. Fuisse, autem, decem praecepta, quae, quasi, decem foederis conditiones exhibebant, in tabulis, conscripta, neque ipsi Rabbini, contra claram Scripturae S. literam, inficiari possunt, unde in Schalsch. bakk. (d) haec verba leguntur: וְהַכְלִיּוֹת כָּנְתָה מֶרֶב עַה  
חַיָּתָה לְקַבֵּל וְדִבּוֹרֹת הַכּוֹתְבוֹת בְּאַצְבָּתָא אֱלֹהִי שָׁמֶן: וְרִישָׁתָם הוּה עֲלָה לְהַכְלִיּוֹת וּמִן הַמְעֻלוֹת הָאָנוֹשָׁו: Finis, autem, intentionis Mosis, praeceptoris nostri b. m. fuit, ut acciperet decem verba, scripta digito DEI; quorum scientiae cacumine, superavit gradus humanos omnes. Fabulae, itaque, sunt, quando alii Iudei, Translationem Chaldaicam attendentes, his decem verbis, adhuc, Expositiones ipsorum adjiciunt, hoc fundamento innixi, quod, Exod. XXXII, 15. dicatur, Moſen duas tabulas testimonii, scriptas, ex duobus lateribus suis, binc, & illinc, scriptas, in manu sua, portasse, & statim, versu sequenti, subjiciatur, Scripturam fuisse Scripturam DEI, excisam super tabulis; quare, priorem locum, de ipsa praeceptorum; posteriorem, vero, de expositionum Scriptura, accipiunt. Ast, jamdudum, hoc commentum, prolixo satis, ABVLENSIS (e) refutavit, cuius argumenta, hic, paucis attingemus. Primo, ostendit, non opus fuisse, ut tales expositiones decem praeceptis annexerentur, quia ista sunt primae conclusiones rationis practicae, quae, imme-

N<sup>2</sup> diate,

(c) Thes. Phil. Lib. II. Sect. 2. p. 549. (d) p. 12. b. (e) l. c. ad Exod. XXXII. quaest. 22. fol. 209. seqq.

diate, ut dicuntur, a quolibet, intelliguntur, assensumque mente  
rentur. Deinde, urget, DEVM nonnisi decem verba, in monte  
Sinai, clara voce, locutum esse, quare verisimile appareat,  
quum haec verba conditiones foederis exhibuerint, DEVM nec  
plura ipsis tabulis inscripsisse. Porro, etiam, probe, tenendum esse,  
monet, quod, si, vel maxime, concederetur, expositiones praecep-  
torum, in tabulis, extitisse, illae quoque, uti ipsa praecepta,  
in libro legis, scribendae fuissent. Nunc, autem, pergit, Scrip-  
tura S., nullibi, de his expositionibus, aliquid habet, quare,  
illas, bono jure, rejiciendas esse, concludit. Accedit, quod,  
has expositiones scopus tabularum foederis impugnet; siquidem  
istae non, eum in finem, datae sunt, ut populus, ex ipsis, insti-  
tueretur, sed, ut de foedere populi, cum DEO, inito, testifical-  
lentur. Neque, etiam, vox חֲרוּת Rabbinos, hic, quicquam,  
juvat; quum, supra, jam tum, demonstratum sit, radicem חָרְבָת  
*exculpere*, significare. Quod si, vero, ad verbum חֲרוּת se  
reciperent, quatenus illud, quandoque, explicare, in sensu ma-  
gis proprio, quam metaphorico, denotat, ipsis, sane, locus, Exod.  
XXVIII, 9. opponi posset, ubi illud, aperte, de sculptura, duo-  
rum lapidum, Sardonychis, quibus nomina Israelitarum inscri-  
benda erant, usurpatum. Atque, sic, extra omne dubium po-  
situm est, DEVM, tantum, decem praecepta, non expositiones  
ipsorum, tabulis nostris inscripsisse. Quare, vero, DEVS, to-  
tam Legem Moralem, decem, solum, & non pluribus, praeceptis  
comprehenderit, curiosi ingenii est, indagare, quum Scriptura,  
hac de re, nihil, plane, commemoret. Nihilominus, tamen, non  
nulli reperti sunt, qui, & hac de quaestione, dispicere conati sunt, in-  
ter quos *Gatakerus*, sigillatim, a POLO (f) excitatus, generalem hanc  
rationem suppeditat, legem oportere brevem esse, quo, facilius,  
ab imperitis teneatur. Specialiores PHILo IVDAEVS (g) ex-

(f) *Synops. Crit. Vol. I. Part. prior. ad Deut. X, 4.* (g) *In OO. Libro de Decalogo fol. 746.*

hibet, quarum potior est *perfectio numeri denarii*, quam in eo ponit, quod omnes numerorum differentias, parium & imparium: parium duorum, imparium trium, pariter imparium quinque, & rationes eorum multiplicativas, ac superpartientes, superpartitasque, item, proportiones, cum Arithmeticas, tum Geometricas, complectatur. Quapropter, & primos nominum inventores, sapienter, fecisse, existimat, quod eundem *denarius*, quasi *de<sup>κ</sup>αρίδα*, appellaverint, quia omnia numerorum, & rationum, proportionumque, arithmeticarum, ac, insuper, harmoniarum, symphoniarumque, genera sub eo comprehenduntur. Qua in parte, cum Philone, R. BECHAI (h) facit, qui sic scribit: *חַחְשָׁבֵן חֹרֶץ נָאֵר עַל רְבּוֹי בְּהַרְבָּה מִקּוֹמָת בְּתֹרֶה וּכְזַה*  
וְעַשְׂרֵ פְּעָמִים תְּכִלְמֹנוּ וְעַל שֵׁם שְׁחוֹתָא סֻפָּה כָּל הַחַשְׁבוֹן  
וְהַכָּל נַכְלָל בּוּ עַל קָנָ לְזֹחַחְשָׁבֵן חֹרֶץ לְהַרְוֹת עַל רְבּוֹי:  
*Numerus bic (denarius), in lege, saepius, de multitudine accipitur, & ita, quoque, intelligenda sunt verba haec, (Iob. XIX, 3.) decem vicibus pudore me affecisis. Quia omnis numeri finis est, & omnes in eo comprehenduntur, ideo, ad multitudinem ostendendam, adbibetur. Tandem, ipse Philo, etiam, classes rerum, si- ve praedicamenta, adducit, quorum decem, a Philosophis, sunt recepta. Quae omnia, quum, quoad illud momentum, quod DEVS eadem respexerit, dum, tantum, decem praecepta moralia constituit, probabilia, saltem, sint, in medio relinquimus.*

§. XII. Expositione ordinis, & distributionis, praceptorum, hic, prorsus, supersedere possemus, quum multa, hanc in rem, a *Theologis*, pariter ac *Philologis*, scripta reperiantur; ne, tamen, opus nostrum mancum videatur, ex superfluo, strictim, varias Scriptorum sententias, de utroque momento, recensebimus. Ad ordinem praceptorum quod attinet, primo loco, illi sunt commemorandi, qui primum praeceptum in illis verbis collocant: *Ego sum Iehova, DEVS tuus, qui eduxit te, e terra Aegypti, e domo servorum.* Quum, autem, hac ratione, unum

N 3

sequen-

(h) *Comment. in Pentateuch. fol. 151. col. 2.*

sequentium praceptorum vel sit expungendum, vel duo, in unum, contrahenda, hi ipsi, secundum varias suas opiniones, in diversas abeunt partes. HESYCHIVS (i), a THOMA (k), jam-jam, confutatus, ex numero praceptorum, tertium, de Sabatbo, eliminat, &, hujus loco, illud, *de sculptili*, substituit, tandemque, *nonum*, & *decimum*, conjungit. CEDRENVS (l), hic, paulo, prudentius procedit, qui, quamvis, prologum Decalogi, primum praeceptum constitut, omnia, tamen, pracepta retinet, &, recte, verba, *de sculptili*, pracepto, *de Diis alienis*, adjungit, male, vero, *nonum*, & *decimum*, connectit. Eodem modo, Talmudici, recentioris aetatis Rabbini, itemque, HOTTINGERO (m) teste, IBN-SINA (n), pracepta Decalogi ordinant. Sed hi, facile, cum reliquis, ex eo, impugnantur, quod illa verba, quae ipsi, primum Decalogi praeceptum, agnoscunt, non mandatum, sed nudam positionem, prooemii loco, Decalogo praemissam, inferant. Longe ineptius, hic, Samaritani, quorum, idem Hottingerus, mentionem injicit, se gerunt, quando Decalogi initium faciunt a verbis: *Non erit tibi*, &c., &, ad haec usque: *custodientes pracepta mea*, eundem producunt, ac, insuper, ne quid, in numero denario, desit, sequentia verba, pro pracepto ultimo, agnoscenda esse, arbitrantur: וְיָהִי בַּעֲבֹרְכֵם אֶת הַאֲבָנִים חَالָה אֲשֶׁר אָנֹכִי מִצְוָה אֲתֶכָם בְּיוֹם הַיּוֹם תִקְרִמו אֶת הַאֲבָנִים מִזְבֵחַ לְיְהוָה אֱלֹהֵיכֶם בְּיוֹם בְּרֹא זְרוּם וּבְנִוָתֶה שֶׁ מִזְבֵחַ לְיְהוָה אֱלֹהֵיכֶם מִזְבֵחַ אֲבָנִים לְאָתָה תִנְפַח עַל יְהוָם בְּרוֹלָל אֲבָנִים שְׁלֹמֹתְתָה תִבְנֵה אֶת מִזְבֵחַ וְחוֹזֵן אֶל הַאֲבָנִים וְהַעֲלִירָתָה עַל יְהוָה עַל יְהוָה אֱלֹהֵיכֶם וְזַכְחַתָה שְׁלֹמֹתְתָה וְאֶכְלָתָה שֶׁ וְשְׁמַחֲתָה לְפָנֵי יְהוָה אֱלֹהֵיךְ הַחֲרֵת הַחֲוֵית בְּעַבְרָה דָירְדוּ אַחֲרֵי דָרְךָ מִכְוָא הַשְׁמֵשׁ בָּאָרֶץ דְכַנְעָנִי הַשְׁבֵב בְּעַרְבָתָה: i. e. Et erit, cum transferitis Jordanem, erigetis lapides istos, quos ego praecipio vobis, bodie, in monte Garizim, & aedificabis, ibi, altare Domino,

(i) *Libr. VII. in Levit. in Cap. XXVI.* (k) *prima secundae, quae st. 100.*  
*Artic. iV.* (l) *Compend. Hist. or. Tom. I. fol. 75.* Edit. Paris. (m) *Theb. Phitol. Lib. II. Seft. 2. p. 55.* (n) *in Pentatev. Arab. MSto.*

Domino, DEO tuo, altare lapideum: Non elevabis, super eos, ferrum: Ex lapidibus, integris, aedificabis altare Domino, DEO vestro, & offeres, super eo, holocausta Domino, DEO tuo, & sacrificabis pacifica, comedesque, & laetaberis, coram Domino, DEO tuo. Mons iste est trans Iordanem, post viam occasus solis, in terra Cananæi, qui habitat in planicie, e regione Gilgal, ad quercentum Moreb, e regione Sichem. In quibus verbis, id, quoque, Hottingerus desiderat, quod Samaritani, sacrilega corruptione textus sacri, pro monte Ebal, montem Garizim, substituant. Tota, vero, haec Samaritanorum sententia, ita, absurda est, ut, etiam, a nullo alio recepta, sed auctoribus suis, propria relictâ fuerit, quare, & nos, eandem mittimus, atque ad illos progrediuntur, qui, equidem, pro primo praecepto, illud: *de non babendis Diis alienis*: agnoscunt, sequentia, autem, verba, *desculptili*, secundum constituant, &, ne numerum praeceptorum excedant, nonum, & decimum, in unum, contrahunt. Nolumus, hic, istorum argumenta, fusius, repetere, eademque, toutes, destructa, denuo, refutare, sed, id, saltē, monemus, nos, quidem, ipsis, ut opinionem hanc retineant, indulgere, quadantenus, posse, modo eandem, non pro necessario, atque verissimo, dogmate venditent, falsamque, & erroneam, de non adhibendis imaginibus, assertionem, istis, ita, *praestructis*, palliare intendant. Evictum, interim, jam dudum, est a nostris, optimam, praecepta Decalogi, ordinandi rationem, illam esse, quam nos amplectimur. Primo, enim, id certum est, auctoritatem, & multitudinem, Scriptorum, pro sententia Calvinianorum pugnantium, nobis hic opponi non posse, quum illi, saltē, rem illustrent, non probent, cui accedit, quod firmissimum Reformatorum argumentum, quo nostram, praeceptorum Decalogi, ordinationem impugnant, in ipsos retorqueri possit. Ut, autem, id adstruatur, tenendum, *Reformatis*, nisi effrontes, prorsus, videri velint, minimum, concedendum esse, magnam convenientiam inter praeceptum: *de non babendis Diis alienis*:

alienis: & inter praeceptum; *de sculptili*, non faciendo: repetiri, quemadmodum & *Forbesius* haud diffitetur, (quod & nos ipsi, ultro, largimur,) in multis, praecpta, *de concupiscentia*, tam *actuali*, quam *originali*, *vitanda*, convenire. Porro, animadverteendum, *Calvinianos*, ut sententiam suam obtineant, se ad differentiam formalem recipere, quam, inter praeceptum; *de non habendis Diis alienis*: & inter praeceptum; *de non faciendo sculptili*: occurtere, contendunt. Jam, autem, & nobis, si, saltem, aequo judicio, rem expendant, illud haud eripere poterunt, quod eadem differentia, nonum inter, atque decimum praeceptum, nostris Ecclesiis receptum, inveniatur. Atque, sic, ex hactenus disputatis, manifesto, constat, utrosque nostrum pari jure gaudere, cui parti, vero, sit accedendum, ipsi jam judicent. Existimamus, autem, *Reformatos* non aliam, quam illam, quae firmioribus suffulta est argumentis, amplexuros esse, nunc, vero, ipsi, nullis aliis, quam, modo tantum adductis, rationibus, sententiam suam munire possunt, quales & nobis sunt concedenda; e contrario nos, ex infallibili *Accentuationis* principio, aliisque argumentis, quae *Auctores*, in sequenti §. citandi, profe allegant, veritatem, clarissime, demonstrare valemus, quare res ipsa exigit, ut nostrae, potius, praceptorum Decalogi ordinationi, quam *Calvinianorum*, subscrribatur.

§. XIII. A controversia, hactenus, ventilata, ipsa, quoque, praceptorum, in duas tabulas, distributio, dependet, siquidem, pro diversa eorum ordinatione, illa, etiam, diversimode distribuuntur. Isti, qui primum praeceptum, *prologum Decalogi*, constituant, non, tamen, praeceptum *de Sabbatho* ejiciunt, sed, tantum, verba, *de sculptili*, pro peculiari mandato, habent, in unaque tabula, quinque collocant, quam sententiam multi, ex *Iudeis*, ipse, quoque, *Iosephus*, aliisque, antea commemorati, amplectuntur. *Hesychius*, vero, tabulæ primæ, tantum, quatuor, secundæ, vero, sex praecpta vindicat, ita, ut, in prima, *prologum Decalogi*, praeceptum, *de non habendis Diis alienis*, de non faciendo *sculptili*,

sculptili, & de non assumendo nomine Domini in vanum; in se-  
cunda, autem, reliqua scripta esse, judicet. Alii, ex Latinis,  
AEVLENSI (o), referente, in prima tabula, affirmativa, in al-  
tera, negativa praecepta, posita fuisse, somniant, qui, tamen,  
merito, a laudato Auctore, inepte, ita, statuere dicuntur, quo-  
niā, hac rationē, quum, saltem, duo praecepta affirmativa,  
scilicet, unum, de Sabbatho, & alterum, de parentibus honoran-  
dis, occurrant, duo, tantum, in una, & octo, in altera, tabula  
ponerentur, siveque, nimis pauca primae, & nimis multa secun-  
dae, tabulae tribuerentur. Accedit, porro, quod, methodo hac,  
praecepta ad DEVVM pertinentia, cum praeceptis, proximum  
responsiblebus, commisceantur, &, tandem, ordo praecepto-  
rum, ab ipso DEO, praescriptus, absque sufficienti ratione, tur-  
betur. Melius, se, in distributione Decalogi, Calviniani, cum  
reliquis, gesisse, videri poterant, qui, equidem, quatuor prae-  
cepta, primae, & sex, secundae, insculpta fuisse, docent, non, ta-  
men, Hesychii commentum approbant, utut, ceteroquin, no-  
stra sententia, qua tria praecepta, primae, & septem, secundae ta-  
bulae assignamus, ob argumenta, in praecedenti §. adducta, di-  
stributioni Calvinianorum, merito, praeferenda sit. Interea,  
Reformatos, ad suscipiendam hanc nostram sententiam, non adi-  
gimus, saltem, ne Lutheranos, praeter rem, sacrilegii accusent.  
Neque plura, hac de re, addimus, sed istis, qui de utraque controver-  
sia, ordinatione, scilicet, & distributione, praeceptorum Decalogi,  
pleniū, informari desiderant, ex nostratis, SAMVELEM BOH-  
LIVM (p), GERHARDVM (q), & DANNHAVVERVM (r); ex  
Calvinianis, BVXTORFIUM, filium (s), a Ribeto citatum, R-

O

VETVM

- (o) *I. c. ad Exod. XXXII. quæst. 24. fol. 21.* (p) *Tract. de vera divi-  
sione Decalogi, data ex infallibili principio accentuationis.* (q) *LL.  
CC. Tom. III. de Lege Morali, §. 38. seqq.* (r) *Collegio Decalog. p.  
20. seqq. quibus jungi potest M. Regenfusii Dissert. de Interpunctione  
Decalogi, cum primis præcepti noni, & decimi, Altdorf, anno  
MDCCXVII. habita.* (s) *Exercitat. de Decalogo, edita, anno 1643.*

VETVM (t) ipsum, GERARD. IO. VOSSIVM (u), HOTTINGE-RVM (x), CHAMIERVM (y), ac FORBESIVM (z); ex reliquis, PHILONEM (a), IOSEPHVM (b), Auctorem Libri, Cosri (c), LYRAM (d), atque ALPHONSVM TOSTATVM (e), aliasque complures, evolvendo commendamus.

§. XIV. De loco, monte, scilicet, *Sinai*, in quo Mosi Tabulae foederis exhibitae fuerunt, prolixius, hic, commentari, supervacaneum esse, arbitramur, maxime, cum, praeter alios, de eodem, jam tum, OSIANDER (f), ex *Quistorio*, multa apposuerit, & PAVLLVS BERGERVS (g) eundem, studio, dataque opera, descripsierit. Plura, nobis, circa tempus, quo tabulae hae priores Mosi, a DEO, sunt concessae, observanda relinquuntur: quamvis, enim, OSIANDER (h) & hic, non, quidem, suis, sed aliorum, verbis, admodum, prolixus sit, non, tamen, tam tempus datarum tabularum, quam tempus promulgationis legis, exponit. Placet, interea, nobis methodus ipsius, qua, hoc in capite, utitur, quare & eandem sequemur, tempusque exhibitionis tabularum, quoad annum, mensem, & diem, curatius, determinare annitemur. Ad annum, itaque, quo lex lata, & tabulae priores populo Israelitico concessae fuerunt, quantum attinet, illum, *Osiander ex Galat. III, 17.*, ubi lex, a *Pau-lo*, post promissiones, Abraham factas, quadringentis, & triginta, annis, promulgata dicitur, exculpere conatur; quum, vero, res difficuler procedat, melius nos facturos existimavimus, si, statim, ex collatione annorum, ab origine Mundi, usque

- (t) OO. Theolog. tom. I. Praelection. plenior. in Cap. XX. Exod. fol. 1226. sqq. (u) de Divisione Decalogi. (x) Thef. Philolog. Lib. II. Sect. 2. p. 551. sqq. (y) Panstratiae tom. II. Libr. XXI. C. VIII. (z) OO. tom. I. Theol. Moralis, Lib. I. Cap. XIII. (a) Libro, de Decalogo. (b) Lib. III. Antiquitat. Cap IV. (c) Part. I. §. 89. (d) ad Exod. XXXII. (e) I. c. ad Exod. XXXII. quacq. 24. f. 211. sqq. (f) I. c. thef. 126. (g) peculiari, de Monte Sinai, Dissert. (h) I. c. a thef. 127. usque ad thefin 137.

que ad promulgationem legis, annum hujus promulgationis determinaremus. Constat, autem, ex CALOVIO (i), Scripturam, ab origine Mundi, usque ad diluvium, numerare annos 1656.; a diluvio, vero, usque ad promissionem, Abramam, de semine benedicto, factam, 427., supponendo, Abramum, non septuagesimo, sed centesimo trigesimo, Tharae anno natum esse, tandem a promissione, Abramam facta, usque ad exitum Israëlitarum ex Aegypto, 430. qui omnes anni, in summam collecti, annos 2513. conficiunt. Atque, hinc, ultro patet, anno sequenti, 2514. Israëlitas, ex Aegypto, exivisse, legemque promulgatam, & tabulas datae, fuisse, cui sententiae etiam, praeter Calovium, LIGHTFOOTVS (k) suffragatur. Cadunt, itaque, omnes, reliquorum Chronologorum, computandi rationes, maxima ex parte, ab Osiandro adductae, sigillatim Schubarti, Calvisi, Helvicii, Strauchi, qui annum promulgationis legis, & exhibitionis tabularum, 2453. constituant, septuagesimo Tharae anno, quo Abramum genuisse perhibetur, innixi. Nec minus, hic, aberrant Salianus, annum 2544., Genebrardus, annum 2339., Isaacus Vossius, annum 3973., Funccius, annum 2455., Cappellus, annum 2503. in locum anni 2514. minus caute, substituentes. Quod, vero, ad locum, Gal. III, 17., cum Exod. XII, 40. collatum attinet, non opus esse judicamus, ut hic divortia sententiarum enumeremus, quum id, jam tum, OSIANDER (l), pariter ac CALOVIVS (m), praestiterint: monuisse, itaque, sufficiat, nos cum B. Calvio sentire, terminum, a quo, annorum 430., esse annum Abrahae 75., emortualem Tharae, cum cuius morte, immediate, vocatio, & peregrinatio, Abrahami, a Moïse, aequa atque S. Stephano, Act. VII, 4. connectitur, quem postremum, cum priori, hoc in passu, Summe Rev. Dn. D. CHLADENIVS (n), felicissime,

O 2 concilia-

(i) Chronicō Biblico, Biblii Illustratis praemiso. (k) OO. tom. I. Cbronia temp. V. T. Exod. XIII. sqq. f. 28. (l) L. c. theſ. 128. (m) L. c. Sect. IV. quaest. 1. (n) peculiari Exercit. de Conciliat. Moses, & Stephani, circa annos Abramami.

conciliavit. Quod, vero, *Gen. XV*, 13. tantum, *quadragecentorum annorum* mentio fiat, id, ob numeri plenitudinem, factum fuisse, cum *B. Augustino*, existimamus.

§. XV. Annum, quo tabulae datae sunt, excipit mensis, quem, haud difficulter, assequemur, si attendamus, quo mense populus Israeliticus, ex Aegypto, sit egressus. Id, autem, ipsa Scriptura annotat, dum *Exod. XII*, 2. mensem hunc, primum nominat, eundemque *Exod. XIII*, 4. & *Deut. XVI*, 1. mensem Abib dicit, quem, deinde, postquam *Chaldaica* mensium nomina invaluerunt, *Nisan* appellatum esse, ex *Neb. II*, 1. & *Ester. III*, 1. *Rabbinorumque consensu*, adstruitur. Ex horum numero unicum ABEN-EZRAM (o), a *B. STRAVCHIO* (p), citatum, adducemus, qui, hac de re, ita loquitur: נִסְן וְאַיָּר וְסִיוּן וְכָל שְׁמֹרוֹת וְחוֹרְשִׁים אֵינֶנֶß לְשֵׁן קֹדֶשׁ כִּי אֵם לְשֵׁן כְּשׂוּרִם עַל כֵּן לֹא תִּמְצֵא בְּמִקְרָא כֶּתֶב אֶחָד מֵהֶם וְלֹא בְּכָל הַמִּקְרָא רַק בְּכָבוֹת חֲנִינָה זָכוֹרָה וּוְנִיאָרָה וּוְרֹאָה וְמִגְלָה אֲסֹתָר שְׁחוֹן בְּנָלָה וּבְכָהָה חְפֹרֶשׁ בְּחוֹדֶשׁ הַרְאָשָׁון שְׁנִיקְרָא נִיסְן בְּלְשׁוֹן כְּשׂוּרִם רַק מֵאָנוּ בְּלְשׁוֹן חְקָרָשׁ שְׁנִיקְרָא גַּם חְדִשִּׁים בְּרוּךְ אַחֲרָת יוֹחָן וְזֹאת בְּיוֹחָן: i. e. *Nisan*, *Iyar*, & *Sivan*, & *reliqua mensium vocabula*, non *Ebraica* sunt, sed *Chaldaica*. Ideo nullum horum, in universa Scriptura, invenitur scriptum, praeterquam in Prophetia *Haggai*, *Zachariae*, *Daniele*, & *Ezra*, & volumine *Ester*, qui fuerunt in captivitate. Quam ob rem, sic, explicantur sunt verba ista: In mense primo, qui, Chaldaeorum lingua, *Nisan* vocatur. Inveniemus, tantum, in lingua sancta, quod tres menses, aliter, vocati sunt, mensis *Ziv*, in mense *Ethanim*, in mense *Bul*. Porro, ex *Exod. XIX*, 1. constat, populum Israeliticum, tertio mense, ab exitu, ex terra Aegypti, in desertum, Sinai, pervenisse, brevique post, legem promulgatam esse: nunc, autem, *Iudeorum Calendarium* docet, hunc mensem non aliud, quam *Sivan* esse, unde, si XL. dies, ad promulgationem Iegisi, addantur, constabit, DEVVM tabulas foede-

ris

(o) in *Exod. XII*. (p) *Dissert. de Computo Talmudico-Rabbinico.*

ris populo Israelitico, *Mense Tamuz*, qui *lunio nostro respondet*, concessisse.

§. XVI. Mense, exhibitionis Tabularum, constituto, ad *dinem*, tandem, nos convertimus, quem, ut, eo melius, investigare queamus, pauca, huc facientia, praemittimus. Primum, quod, hoc in negotio, notari meretur, est *Pentecoste Ebraeorum*, cui plurimi *Chronologorum*, hic, totum calculum superstruunt. Communiter, enim, Rabbini, & multi alii, sentiunt, pentecosten, in memoriam promulgationis legis, in monte Sinai, factae, institutam fuisse, &, quum festum illud, uti STRAVCHIVS (q) ostendit, in *sextum diem mensis Sivan* incidat, inde, legem, quoque, hoc, praecise, die, latam esse, contendunt. Alii, totum hoc fundamentum, non levioribus rationibus nixi, penitus, revertunt, dum statuunt, Pentecosten non tam propter legem promulgatam, quam propter primitias, ordinatam fuisse. Rorboris non parum, velinde, huic sententiae accedere videtur, quod in tota Scriptura S., nullibi, asseratur, Israelitas pentecosten, ob legem datam, celebrasse, sed, potius, Exod. XXXIV, 22. inculcetur, DEVM, diu post promulgationem legis, festum septimanarum, instituisse, ut, adeo, res haec, tantis difficultatibus obnoxia, haec tenus, incerta maneat (r). Quo ostendo, incertus, porro, dies tertius redditur, in quem Israelitae, ut solemnitati huic, rite, vacarent, parati esse debebant: si, enim, Pentecoste, quae L. diebus, a Paschate, distabat, ob datam legem, instituta non fuit, neque certum erit, DEVM eandem, quinquagesimo, ab exitu Israelitarum, die, tulisse, neque ex hoc fundamento, firmiter, adstrui poterit, diem tertium, antea commemoratum, in sextum, mensis Sivan, incidisse. Similis difficultas, in constitendo die, quo Israelitae desertum, Sinai, ingressi sunt, se nobis

O 3 objicit.

(q) de *Computo Thalm. Rabb.* §. 47. (r) *Conf. Jonstonius de Festis Ebraeor. & Graecor. part. I. cap. 3. num. 2. ut & Vblit Dissert. de Pentecoste Ebraeorum, Vitemb. A. 1608. Praefide, M. Tbilone, habita, sect. II. quaest. 1.*

objicit. Difficultatem hanc promovet haesitatio nostra circa locum, *Exod. XIX, 1.*, quo informamur, Israelitas, mense tertio, ab exitu ex Aegypto, *in die hoc*, in desertum, Sinai, pervenisse. Iam, itaque, quaeritur, quisnam dies, praecise, pro illa, de qua, in citato loco, sermo est, sic habendus? *Pontificii*, plerique, verba, *in die hoc*, ita exponunt, ut idem sint, ac *in die eodem*; quum, vero, hic loquendi modus, ex Scriptura S. solide, probari nequeat, hinc alii vocem, שְׁנִי, non mensem, sed *Novilunium*, primum, nimirum, diem, mensis tertii, interpretantur. Tuentur hanc sententiam, praeter alios, *R. Moses, Junius, & Tremellius*, ac ipse B. CALOVIVS (s), hac, potissimum, ex caussa, quod שְׁנִי, proprie, *Novilunium* significet. Huic, DRVSIVS, (t) obstat, videri, monet, quod, in *Ebraeo*, בְּחָרֵשׁ, non שְׁנִי, legatur: cui accedit, quod, si, vel maxime, שְׁנִי novilunium notaret, absque articulo, שְׁנִי הַשְׁלִישׁ, dicendum fuisset; nos, tamen, veremur, ut haec ratio tam ponderosa sit, quae nobis persuadere possit, hic, nequaquam, de Novilunio, & prima die mensis tertii, sermonem esse. Ex, hactenus, disputatis jam, evidenter, constat, duas, in primis, tam, de die promulgatae legis, quam, datarum tabularum, sententias, inter eruditos, dari, quarum, equidem, una, tanquam vera, atque genuina, suscipienda est, neutra, tamen, ob intellectus humani imbecillitatem, & insufficientem, mediorum hermeneviticorum, adparatum, pro illa, sine formidine oppositi, haberri potest. Prior illarum statuit, diem tertium, in quem Israelitae se praeparare jubebantur, tertium mensis *Sivan* esse, quo ipso lex promulgata fuerit. Hanc opinionem suam facit B. AVGUSTINVS (u), quamvis, a communi sententia, qua, a paschate, usque ad datam legem, quinquaginta dies numerantur, non recessisse, videri vellet, quum, tamen, re ipsa, ab eadem recedat. Mensis, enim, *Nisan*, quo Israelitae, ex Aegypto, exiverunt, habet triginta dies, quorum deci-

(s) *Bibl. Illustr. ad l. Exod. c.* (t) *Notis majoribus, ad l. c.* (u) *Epist. 119. Cap. XVI. & quaeß. 70. in Exod.*

decimo quinto Israelitae iter sunt ingressi. Remanent, itaque, itidem, quindecim, quibus, si, integrum mensem, *Iyar*, vigineti novem dierum, addas, erunt ab exitu, ex Aegypto, quadraginta quatuor dies, qui, tandem, si tres dies, mensis *Sivan*, ex mente *Augustini*, adjiciantur, ad quadraginta septem, non, vero, ad quinquaginta, excrescent. Movit haec supputatio *BELLARMINVM* (x), ut ex proprio *Augustinum* principio refutaret, quod, si admittatur, *Augustinus* sententiam suam, aegre, tuebitur. Si, vero, negetur, pentecosten & promulgationem legis, exacte, coincidisse, *Bellarminus*, certo certius, reliquis suis argumentis, parum, vel nihil, efficiet. Ut, vero, res, cum die promulgatae legis, comparata est, ita, pariter, ea, cum die exhibitarum tabularum, se habet. Stante, enim, sententia *Augustini*, si, quadraginta dies, tempori promulgationis legis, addantur, illae, sane, non die decimo septimo *Tamuz*, quod, equidem, laudatus Pater intendit, sed die decimo quarto, *bujus mensis*, a DEO, Israelitis concessae fuissent. Atque haec prioris sententiae summa esset: nunc, etiam, de posteriori, paucis dispi ciendum erit, quae tota ipsis quinquaginta diebus, a paschate, ad pentecosten, numerandis, innititur, quos ut obtineat, maxime, in eo, occupatur, ut, diem tertium, in quem Israelitae parati esse debebant, sextum mensis *Sivan* fuisse, evincat. Et, sane, fatendum, tantum non omnes huic opinioni subscribere, quia, uti *CALOVIVS* (y) annotat, inter omnes Interpretes, de eo, convenit, *vpoθετον*, quinquagesimo die, post exitum, ex Aegypto, factam esse. Quamvis, autem, omnes in die, promulgationis legis, convenient, in numeratione, tamen, horum dierum, non parum, a se invicem, discedunt: quidam, enim, statuunt, populum Israeliticum, *tertio*, *demum*, *die mensis tertii*; quidam, vero, *primo die*, desertum, *Sinai*, ingressum esse. Inter illos *Bellarminus* refert *R. Salomonem & Lyrandum*, quibus *Cornel. a Lapide*,

(x) Primo tomo, *Disputat. Controv. sept. gen. Lib. III. de cultu Sanet. cap. XIII.* (y) *Bibl. Illuſtr. tom. I. Part. I. ad Exod. XIX, 7.*

*a Lapide*, & alios Pontificios, adjungimus ; his, vero, reliqui, fe-  
re, omnes, cum ipso ABULENST, (z) sunt annumerandi, quan-  
quam Bellarminus, & Cornelius *a Lapide*, postremum, ideo, cul-  
pent, quod, mensis tertii die tertio, legem promulgatam dicat,  
(a), & hunc diem non, cum *Augustino*, quinquagesimum, a pa-  
schate, sed quadragesimum nonum, secundum *Bellarminum*,  
quadragesimum octavum, vero, secundum *Cornelium*, fuisse,  
statuat. Quicquid, autem, hujus rei sit, sufficit nobis, *Abulen-*  
*sem*, alio in loco, asserere, DEVM, sexto die, mensis Sivan, le-  
gem promulgasse, quamvis ipse ignoret, quae sententia alteri sit  
praeferenda. Supposito hoc, promulgationis legis, die, uti,  
jam antea, monstravimus, additis quadraginta diebus, ultro se-  
quitur, *decimo septimo mensis Tamuz*, tabulas foederis, priores,  
a DEO, datas fuisse. Iam nobis definire incumberet, utra har-  
rum sententiarum vera, utra, vero, falsa sit ? quod, licet  
ob rationes, jamjam, adductas, praeflare non possimus, cer-  
tum, tamen, est, alterutram harum cum veritate convenire.  
Si, vero, per conjecturas, res esset conficienda, verisimillimum,  
omnino, nobis videtur, DEVM Mosi, tabulas testimonii, *deci-*  
*mo septimo die, mensis Tamuz*, exhibuisse. Hoc ipsum, autem,  
non tam ex tempore pentecostes, quam ex reliquis circumstan-  
tiis, circa legislationem, observatis, probatur, quod, nimirum,  
uno die ista omnia, quae *Exod. XIX.* peracta dicuntur, absolviri  
non potuerint; quare non, praeter rem, cum *Abulensi*, & *Ca-*  
*lorio*, supponendum esse, existimamus, die primo, mensis tertii,  
Israelitas in desertum, Sinai, pervenisse, altero, Mosen, ad DEVM  
ascendisse, & mandata, ab ipso, ad populum accepisse, *tertio*,  
eundem Mosen, seniores congregasse, eisque mandata DEI ex-  
posuisse, *quarto*, iterum, ad DEVM, ut responsum populi refer-  
ret, rediisse, & *sexto*, demum, die legem promulgatam, siveque,  
*decimo septimo die, mensis Tamuz*, tabulas foederis, priores, da-  
tas fuisse. Vna, adhuc, controversia, paucis, hic, attin-  
genda

(z) *l. c. ad Exod. XXIV. quaest. 21. f. 20.* (a) *ibid. ad Exod XIV. quaest. 10.*

genda restat, utrum, videlicet, *sex isti dies, quibus Moses, in monte, stetit, cum, famosis illis, quadraginta diebus, computandi sint?* Quum, autem, quaestione hanc, non tantum *Abulensis*, jam tum, prolixe satis, tractaverit, verum, etiam, eadem ita comparata sit, ut calculum nostrum non turbet, breviter nos, hic, expediemus. Non connumerari sex illos dies cum quadraginta reliquis, *Toskato teste, communiter, omnes Iudei existimant, sentiuntque, illos ipsos, pro ipsis sex diebus accipiendo esse, qui, ab initio mensis Sivan, usque ad legislationem, effluixerunt.* Ait haec cum Scriptura non convenient: *Exodi, enim, XXIV. docetur, nubem, in monte Sinai, demum, postquam Aaron, Nadab, Abihu, & Seniores, DEVM vidissent, Mosen obtexisse, DEVMque, e medio nubis, septimo die, eundem vocasse.*

§. XVII. Ad tempus, exhibitionis tabularum, referri, etiam, potest quaestio: *Quare DEVS, ante consensum populi in praecepta, judicialia, & caeremonialia, tabulas non concesserit?* Proponit illam *ABVLENSIS* (b), &, simul, promte, ad eandem respondet. Videtur, autem, ab initio, DEVM statim, post consensum in leges morales, populo tabulas foederis largiri potuisse, quia hae, tantum, *X. praecepta, non Expositiones, quod supra explosimus, nec leges caeremoniales, & judiciales, in se continebant.* Sed, hoc, nondum omne negotium conficiebat: intendebat, enim, DEVS Ecclesiam suam V. T., in populo Israelitico, fundare, eandemque, typis, & umbris, Christum respiacentibus, celebriorem reddere, quare &, antequam DEVS foedus, cum populo, iniret, consensus, quoque, hujus gentis, in praecepta, caeremonialia, & judicialia, requirebatur. Quum, itaque, foedus, ante hunc consensum, firmari non potuerit, neque tabulae foederis, quae de hoc ipso, si Israelitae, se inter atque DEVM foedus percussum fuisse, negarent, testarentur, eosque falsitatis convincerent, dari potuerunt. Plura, ne falcem

P

in

(b) *I. c. ad Exod. XXIV. quaest. 2. f. 5.*

in alienam messem immisisse videamur, non addimus, sed reliqua Theologis, potius, dijudicanda relinquimus.

§. XIIIX. Quid, autem, DEVS, tabulis hisce, intenderit, vel exinde, facile, patescit, quod eadem, & tabulae foederis, & testimonii, appellantur; unde, etiam, illa, quae, de his nominibus, supra, annotavimus, denuo, hic, repetenda veniunt. Breviter, ut nos expediamus, non, alium in finem, tabulae foederis datae fuerunt, quam, ut, in arcam repositae, de foedere, DEV M inter atque populum Israeliticum, uti dotales tabulae, de sponsaliis, testarentur. Dolendum, itaque, quod tabulae nostrae, finem illum, qui, a DEO, ipsis destinatus erat, obtinere non potuerint: Legitur, enim, in Scripturis, easdem, a Mose, ad radices montis, Sinai, confractas fuisse. Mirari quis vel audaciam, vel temeritatem, hujus sanctissimi viri posset, quod tam pretiosum cimelium, ab ipso DEO fabricatum, & scriptum, quum illud vix accepisset, adhuc, antequam ad populum detulisset, jamjam, corruperit. At, si rationes, quibus ille, ad hoc ipsum suscipiendum, motus fuit, considerentur, facile patet, eundem, optimo illud jure, fecisse, eamque, adeo, ob causam, neque iram, neque poenam, divinam, incurrisse. In constituendis, autem, hisce rationibus, quidam *in excessu*, quidam *in defectu*, peccant, illi, vero, maxime, probandi sunt, qui media, atque, adeo, tutissima, via, incedunt. Terminos Rabbini excedunt, dum, inter illos, R. Salomon somniat, Mosen, ex monte, Sinai, descendenter, ad radices ipsius, tabulas respexisse, atque animadvertisse, quod literae, ex iisdem, evolaverint, sive illae rafae manserint; quum, vero, tabulae, saltem, propter literas ipsi datae fuerint, illis deficientibus, Mosen iratum, easdem, tanquam inutiles, abjecisse. Egregie, hoc commentum ABVLENSIS (c), perstringit, ostendendo, R. Salomonem male supponere, Mosen, ideo, exarsisse, quod literae evanuerint, quum, tamen, in Scriptura legatur, eum, postquam vitulum

aureum

(c) *I. c. ad Exod. XXXII. quæst. 29. f. 217.*

aureum vidisset, iram concepisse, & tabulas abjecisse. Dato, autem, *Abulensis* pergit, avolasse literas, sine dubio, vel illae figurae, in tabulis sculptae, aufugerunt, per aërem volitantes, vel superficies lapidis, quibus literae incisae erant, exciderunt. Utrumque est absurdum: prius, quoniam *Accidens*, sine subjecto inhaesio-  
nis, existere non potest; posterius, quia Moses, hac ratione, ni-  
hil, in manibus, retinuisse: non, enim, tantae crassitudinis ta-  
bulae erant, ut, ab utraque parte, superficies ipsarum, quae  
praecepta moralia insculpta habebant, separari, &, tamen, adhuc,  
aliquid remanere potuerit. Alii *Rabbinorum*, apud MVNSTER-  
RVM (d), meliorem, quadantenus, rationem suppeditare viden-  
tur: Mosen, videlicet, quamprimum vitulum conspexisset, ita  
exhorruisse, ut, omnibus viribus destitutus, tabulas, ulterius, ma-  
nibus suis, tenere non potuerit; quibus, tamen, annotandum  
erat, Scripturam asseverare, Mosen, quem vitulum vidisset, non  
exhorruisse, sed iratum fuisse; nunc, autem, experientia teste,  
ira, potius, vires auget, quam imminuit, unde, majori jure, sta-  
tuendum foret, Mosen, quem populo, ob idolatriam com-  
missam, irasceretur, robustorem, non debiliorem, factum esse.  
Condonanda, tamen, haec sunt *Rabbinis*, natura, quasi, ad fin-  
gendum pronis, & in hac arte, si quae dicenda est, multo felic-  
issimis; magis hic notari meretur CLERICVS (e), vir, non, tam,  
eruditione Christiana, quam, ethnica, celebris, qui Scripturas  
non aliter, quam *Cornaci Aristoteles*, ex orco redivivus, a Dan-  
havvero, autem, in orcum, iterum, detrusus, inspicere videtur.  
Hic, enim, ad locum, in quo refertur, Mosen tabulas confre-  
gisse, delatus, ita scribit: *Irai*, praeter modum, si quid tenea-  
mus, id solo, saepe, illidimus, neque quidquam aliud, hic, quaeren-  
dam. Ast, illud Clericus istis, qui sensibus destituuntur, per-  
suadeat; quomodo, enim, Moses, ex mero affectu humano,  
tabulas abjicere potuisset, quem DEVS eidem, antea, jamjam,

P 2 pecca-

(d) ad Exod. XXXII. (e) Comment. in Pentateuch. ad Exod. XXXII.  
19. f. 162.

peccatum, a populo Israelitico, commissum, revelasset, neque ipse a delicto, quod, tamen, hoc in negotio, DEVS eidem, nullibi, exprobrat, absolvendus esset. Cautius, itaque, alii procedunt, qui statuunt, Mosen, viso vitulo, non humano affectu, sed zelo, & instinctu, divino excanduisse, cui rationi, adhuc, aliae, non absque fundamento, jungendae veniunt. Harum potiores sunt, quod Moses Israelitas tanto beneficio, imo & ipsa legislatione, indignos judicaverit, ad quam sententiam *Rivetus, Lundius, Lyra*, aliique, propendent; porro, ut populum commoveret, & confunderet, videntem, tam pretiosas tabulas, ob scelus designatum, confractas esse, quod *Münsterus* amplectitur, utque, hac ratione, iram DEI accensam, adumbraret, quod, denuo, *Riveto* arridet, &, tandem, ut praecaveret, ne, si, cum solita mansuetudine, quae in ipso, *Num. XII, 3.* laudatur, populum reprehendisset, hic peccatum commissum, leve, admodum, reputaret. Iam, ex, hactenus, dictis, sine ullo negotio, quaestio illa decidi posset, *utrum, scilicet, Moses, tabulas foederis frangendo, peccaverit?* quam tamen, quum ad forum nostrum non spectet, hic, praetermittimus.

§. XIX. *Locum, ubi Moses tabulas foederis confregit*, Scriptura S., clare, determinat, quando *Exod. XXXII, 19.* dicit: *וְשִׁבֵּר אֶת־תְּבִלֹתָה תְּהַרְתָּם* fregit tabulas sub monte, quod idem est, ac, *ad radices montis*; quamvis, alii, *in humilioribus locis montis*, id factum fuisse, existiment. Quare, vero, Moses non alibi, quam *ad radices montis*, Sinai, tabulas, fregerit, curiose, admodum, *ABVLENSIS* (f) quaerit, &, satis dextre, dupli modo, ad propositam quaestionem, respondet. Primo, Moses non prius tabulas abjecisse, quam vitulum conspexisset, hunc, autem, non, nisi *ad radices montis*, eundem animadvertisse, ideoque &, ibidem, tabulas confregisse. Secundo, iustum non fuisse, ut, foedere, a parte Israelitarum, violato, tabulae foederis, ulterius, portarentur, quam ad locum illum, in quo iidem substiterunt, quum foedus, cum DEO, percuterent, atque, hinc, Moses

(f) *I. c. ad Exod. XXXII. quaest. 30. f. 218.*

Mosen, instrumentum, quoque, foederis, ad radices montis, corrupisse. Contigit id eodem die, quo tabulae datae fuerunt, nimirum 17. Tamuz, id quod Doctores Mischnici (g), his verbis, testantur: **חמשה רברם אירעו את אבותינו בשבעה עשר** בתקומו בשבעה עשר בתומו נשבתו הלוות ובטל התמור והובקעה העיר ושרף אופוסטמוס את התורה והעمر צלים בחולן. *Quinque res luctuosae patribus nostris acciderunt, die septimo decimo, mensis Tamuz, sive Iunii. Nam XVII Tamuz, fractae sunt tabulae legis: cessavit iuge sacrificium: urbis moenia perrupta: lex, ab Apostemo, combusta, idolumque in templum statutum. Hoc ipso die, praecise, id factum esse, Talmudistae, sequenti computandi ratione, a LVNDIO (h) adducta, probare conantur, quam, ideo, huc reservavimus, ne, supra, in necienda Chronologia, exhibitarum tabularum, prolixitas rem obscuriorem redderet. Ita, autem, ista se habet: מנין ותניא בששרא* להרש נתנו עשרה הרברות לישראל רבי יוסי אומר בשבעה בו מאן ר אמר בששרא נתנו בששרא נתנו ובשבועה עליה משה מאן ר אמר בשבעה בשבעה נתנו ובשבועה עליה משה ר כתיב ויקרא אל משה ביום קיומ השבעה וכתיב יוסא משה בתוך הענן ועל אל ההר והוא משה כהר ארבעים יוס וארכיעים לילך עשרו וארבעה אל רסין ושיטר ותמונה מל לרו ארבעין בשובור בתומו נחירות אתה ותבונתו ללוות וכתיב ויהי כאשריו קרב אל המנחה וירא אהן העגר ושלך מירון אהן הלוות וישבר אוות תחת ההר:

i. e. *Vnde constat, hoc ipsum, tum, accidisse?* Resp. Ex traditione hac: In sexto, mensis Sivan, seu Maji, data sunt decem praecepta Iraelitis. R. Iose, autem, dicit in septimo, ejusdem mensis, data fuisse. Itaque, secundum illum, qui dixit, in sexto, data esse, concedamus, ponamusque, eo die data esse, ita, ut, septimo die, Moses montem ascenderit. Rursus, secundum ejus

P 3

sen-

(g) *Seder Moed, Massechet Taanith, cap. IV. n. 7.* (h) *Notis, ad hunc Mischnae locum.*

sententiam, qui statuit, *septimo data esse, faciamus ita accidisse,*  
 ita tamen, ut Moses *septimo, etiam die montem, ascenderit.* Scriptum,  
 namque, est Exod. XXXIV. 16. Et vocavit Mosen in die se-  
 ptimo. Et, mox, subjungitur: *Et venit Moses in medium nubis,*  
*ascenditque montem, fuitque Moses, in monte, 40. dies et 40. no-*  
*ctes, nimirum, 24. dies Sivan, seu Maji, et 16. dies Tamuz, seu Iu-*  
*nii, unde 40. dies exsurgunt. In septimo decimo Tamuz descendit,*  
*fregitque tabulas, ut scribitur. Exod. XXXII. 19. Et factum est,*  
*simil ac appropinquaret castris, videretque vitulum, ut conjiceret*  
*tabulas, e manibus, frangeretque easdem, sub ipso monte.* Haec  
 erant generaliora, de tempore, quo tabulae fractae fuerunt,  
 quibus specialiora FRIEDLIBIVS (i) superaddit, quando inve-  
 stigat, *an primo, statim, solemnitatis istius, quam Israelitae vitulo*  
*paraverant, die, Moses accesserit?* Ad quam quaestione, Vir  
 Cl. cum Lyra, affirmando, responder, hac, potissimum, causa  
 permotus, quod e vestigio, posteaquam Israelitae, idololatrae,  
 peccassent, DEVS Mosi dixerit: *vade, & descende, peccavit popu-*  
*lus, quem eduxisti, e terra Aegypti, & quod Moses, quum, ex*  
*monte, descendisset, populum suum, adhuc, coram fictitio Deo,*  
*jubilantem invenerit: cui sententiae, ob summam probabilita-*  
*tem, qua se commendat, & nos subscribimus. Memoriam,*  
*tandem, hujus diei, ad nostra usque tempora, jejunio, in 17.*  
*mensis Tamuz, ordinato, Iudei conservarunt, uti, ex Calendario*  
*Ebraeorum, patet, quod Genebrardus in Latinum sermonem*  
*transtulit, suisque Commentariis, in Psalmos, praemisit. De hoc*  
*jejunio nihil, in libris Mosis, legitur; siquidem, in istis, tan-*  
*tum, unicum jejunium, quod in decimum diem Septembris, quo,*  
*annuatim, Festum Expiationis celebratur, incidit, Levit. XVI.*  
*& XXIII. populo Israelitico injungitur. Habent, tamen,*  
*Rabbini, quo se recipient, dum Zact. VIII. 19. quatuor jejuniorum,*  
*jejunii quarti, jejunii quinti, jejunii septimi, & jejunii decimi, men-*

sis,

(i) *Theol. Exeget. V. T. Exodo Artic. III. Class. VII. cap. XXXII. 7.*  
*quaest. 43. f. 176.*

*sis*, mentio injicitur. Per *jejunium*, itaque, *quarti mensis*, *jejunium*, die decimo septimo, mensis Tamuz, instituendum, intelligunt, quod, an, ex his verbis, sufficienter, probari queat, nos, cum ipsis *Rabbinis*, ignoramus. Quicquid, autem, sit de fundamento hujus jejunii, sufficit, Iudeos, die dicto, jejunare, quod, tamen, non tantum, propter tabulas fractas, faciunt, sed etiam, prout antea, ex loco Talmudico, perceperimus, quod, hoc die, oblatio quotidiana cessaverit, legis exemplar combustum, idolum, a Manasse, in templo, erectum, urbs Ierusalem, secunda obsidione, rupta, &, pars murorum, disiecta, fuerit. Imo, non, tantum, infortunia sua, hoc, praecise, die, jejunio publico, dolent, sed; quoque, *B VXTORFIO* (k) teste, sequentes, qui, ab hoc die, usque ad nonum, mensis Ab, intercedunt, atros, & infaustos, judicant.

§. XX. Per quod, ceteroquin, *praeceptum*, *fissura tabularum*, *facta si?* de eo, curiose magis, quam utiliter, disputatur, in primis, quum, hac de re, neque per conjecturam, aliquid assequi queamus. Producit, tamen, *ABULENSIS* (l) quosdam, qui existimant, per *praeceptum*, de Sabbatho, easdem fractas esse. Rationem, sententiae suae, haec addunt, omnia *praecepta*, in tabulis scripta, ad *Ius naturae*, tanquam *primas conclusiones*, pertinere; *praeceptum*, autem, de Sabbatho, maximam partem, *caeremonialia*, in se continere, hincque fissuram, hoc in loco, contigisse. Quam vana, vero, & inepta, haec sint, evidenter, laudatus *Abulensis* monstravit: si, enim, hoc concedendum esset, Moses, tantum, unam tabulam confregisset, quia in una, saltem, *praeceptum*, de Sabbatho, scriptum erat, quod, tamen, falsum, quum *Scriptura* utramque fractam esse, clare, pronunciet. Deinde, notandum, quod & illi, qui hoc somnium fingunt, affirment, in *praecepto*, de Sabbatho, quedam caeremonialia reperiri, rem ipsam, tamen, non nisi moralem,

(k) *Synagog. Iud. cap. XXX. p. 565.* (l) *l. c. ad Exod. XXXII. quaeft. 28. f. 216.*

ralem, & Iuris naturae, esse, quodq; praeterea, statuendum sit, quum tabulae, ex utroque latere, scriptae fuerint, fissuram, tam, per praeceptum, aliqua ex parte, caeremoniale, de Sabbatho, quam, per praeceptum Iuris naturae, & morale, in opposito latere, scriptum, factam fuisse. Optime, hinc, illi sibi consulunt, qui asseverant, non unam, sed ambas, foederis tabulas fractas fuisse, easdemque non in duas, vel quatuor, sed multas, partes dissiliisse.

§. XXI. Non, multo, saniores Iudaei videntur, qui, temerario ausu, fingunt, *Mosen, ex fragmentis tabularum, venditis, valde, ditatum esse.* Nescimus, sane, quomodo detestanda haec avaritia, cum genio sanctissimi hujus viri conciliari possit, qui magnificientiam, & divitias, totius Regni Aegyptiaci, sprevit, hisque miseram sortem, in terra Midian, praetulit. Atque, hinc, factum est, quod ABVLENSIS (m), indignatione justa, commotus, vehementer, *Rabbinos* increpaverit, quem Panegyricum, tamen, quum prolixior sit, &, parum, ad rem nostram, faciat, hic, omittemus. Nititur, autem, hoc somnium lapide pretioso, ex quo tabulas fabricatas volunt, quem, tamen, nondum, probatum dederunt, quare &, multo minus, id, quod, exinde, eliciunt, *Mosen, nimirum, fragmentis tabularum venditis, ditatum esse,* admittendum erit. Majorem illi laudem merentur, qui in id inquirunt, *quid fractio tabularum respiciat, vel denotet?* Inter hos, ABVLENSIS (n) existimat, priores legis tabulas, ideo, fractas esse, quia lex vetus sit dejecta, novaque eidem surrogata, quae sententia falsam, *Pontificiorum, hypothesin, de Christo, novo legislatore, supponit.* Aliam rationem CEDRENVS (o) reddit, priores tabulas typum legis literalis fuisse; sed, quum obscurior ista sit, merito, & illam mittimus, simplicissimeque, cum RIVETO (p), statuimus, indicare hanc fractio-

(m) *I. c. ad Exod XXXII. quaest. 16. f. 17.* (n) *I. c. quaest. 27. f. 216.*

(o) *Compend. Hist. tom. I. f. 77. Edit. Paris.* (p) *OO. tom. I. Comment. in Exod. ad Cap. XXXIV. f. 1200.*

nem, Israelitas, foedifragos, foederis divini indignos se reddisse.

§. XXII. Tandem, antequam tabulas foederis priores mittamus, videndum, etiam, ubinam illae, post fractionem, affervatae fuerint, & quorsum, tandem, pervenerint? De priori discrepant, inter se, tam Rabbini, quam Christiani, quare quidam easdem in arca foederis; quidam, extra arcam foederis, in alia cista; quidam, tandem, abolitas fuisse, volunt. "Τσερον πρότερον facturi, de iis, qui ultimum locum tenent, primum agemus, quorum numerus, valde, exiguis est, ita, ut, non, nisi unicum RIVETVM (q), nunc, ipsis annumerare liceat. Hic, enim, existimat, censendum esse, abolita fuisse fragmenta priorum tabularum, quia nullibi, in Scripturis, duplicitum tabularum, vel, etiam, fragmentorum, mentio fiat, & vix credibile videatur, DEVM, monumentum illud indignationis Mosis, propter scelus Iudeorum conceptae, in arca, servari voluisse. Quomodo, vero, ista abolitio facta sit, Rivetus non docet; verisimile, tamen, est, ipsum non putare, fragmenta tabularum, a DEO fabricatarum, & scriptarum, in loco, ubi Moses tabulas fregit, pedibus conculcata, sed potius, quod ABVLENSI (r), quamvis aliam sententiam amplectatur, non inconveniens videtur, in secretissimo aliquo terrae loco, occultata fuisse, quae, minimum, saniora sunt, somniis quorundam Rabbinorum, qui, Mosen fragmenta tabularum vendidisse, singunt. Quanquam, autem, Riveti sententia non inepta sit, nihilominus, tamen, plurimi ab eadem recedunt, &, cum ABVLENSI, atque BRAVNIO (s), fragmenta, tabularum priorum, in loco, honestiori, recondita contendunt, qualis, vero, hic locus fuerit, determinare vix possunt. Plurimi, ex Rabbinis, sentiunt, integras, pariter atque fractas, arcae foederis inclusas fuisse, quod, teste Braunio, Germanici,

(q) L. c. ad Exod. XXV. 16. f. 114. (r) L. c. ad Exod. XXXII. 16. quaeſt. 16. f. 17. (s) Comment. in Epift. ad Hebr. cap. IX. 4. p. 503.

marici, Hierosol. (t), Babyl. Codex, Bava Batbra (u), Meijmonides (x), Abarbanel (y), aliique, affirmant. Abarbanelis verba, quae, secundum ipsius mentem, genuinum, loci i. Reg. VIII. 9., sensum exhibent, quum ad manus sint, hic, apponemus. Ita, autem, ista sonant: אין בארון רבר אחר לא צנחת המן ולא מטה אהרן ולא רבר קושחה אחרות כי אם התורה האלקירית וההלוות החנויות ר' שלמדו והשברות: i. e. Nulla alia res fuit in arca, non urna Mannae, non verga Abaronis, vel alia res sancta; sed sola lex divina, & haec in tabulis utrisque, tam integris, quam fractis. Cum Abarbanel, & reliquis, facere videtur Patracid. ab HOTTINGERO (z) citatus, quando, hunc in modum, illoquitur: Ascendit, autem, Moses cimum montis, Sinai, ubi DEVS ei tradidit legem, inscriptam tabulis. Cum, vero, descendisset, iterum, de monte, accidit, ut filii Israel accepissent monilia muliebria, eademque conflassent; & egressum est (igni) caput vitulinum, quod illi coluerunt: quod cum Moses vidisset, abjecit tabulas, de manu, quas, confractas, Moses collegit, & arcae imposuit. Quod ad rationes Rabbinorum, quibus suam opinionem stabilire conantur, attinet, primo loco, illa est ponenda, quam, in Talmud, R. Ioseph, ex Deut. X. 2., producit, in quo loco haec verba leguntur: אשר שברת ושבקם quale Iosephus, & alii Rabbini, ita explicant, quali DEVS sic locutus fuisset: Inscriram tabulis verba, quae fuerunt in tabulis primis, quas fregisti, & in Arcam posuisti. At, bene, BUTORFIVS (a) monet, haec arguta magis, quam solida, esse, quum, praeter mentem Auctoris, illud ושבקם, quod per Futurum vertendum erat, per Praeteritum reddatur. Alii existimant, tabulas fractas in arca foederis fuisse, inde probari posse, quod, quum Moses, primum, montem ascendisset, etiam, manda-

(t) Codice Schekalim, cap. VI. (u) cap. I. f. 14. 1. (x) in Praefat. Iad. chafaka. (y) Comment. in Prophetas priores ad i. Reg. VIII. 9. (z) Smegnate Orient. Lib. I. cap. VIII. p. 427. (a) Hist. Arcæ foed. Cap. V. p. 65.

tum, tam de arca facienda, quam tabulis foederis, eidem imponendis, acceperit, uti ex *Exod. XXV*. apparet. Iam, autem, si statuatur, arcam foederis, tantum, integras tabulas in se continuisse, concedendum fore, Mosen hoc mandatum divinum non implevisse. Sed & hoc argumentum, *Rabbinorum*, *Buxtorfius* evertit, dum regerit, quod hoc praeceprum aequa ad tabulas secundas referri possit, quum DEVS non ignoraverit, Mosen primas fracturum esse. *Abarbanel*, tandem, hanc rationem reddit, decuisse, ut, quae sunt ejusdem speciei, eodem loco collocentur, quod, re ipsa, factum esse, unicam, tantum, arcam, Israelitis usitatam fuisse, evincere conatur. In utroque, autem, fallitur. Pius, enim, probabili, tantum, conjectura nititur; posterius, vero, ideo, nihil probat, quod, quamvis non talis arca, quam alii *Rabbini* fingunt, praeter arcum foederis, inter Israelitas fuerit, tamen cistula quaedam, pro fragmentis tabularum, adaptari potuerit. Et quare, amplius, in refutatione argumentorum, a *Rabbinis* adductorum, desudaremus, quum Scriptura, *i. Reg. VIII. 9.* perspicue, afferat, nil, nisi duas, non quatuor, foederis tabulas, arcum, in se, continuisse. Probe, id animadvertisit, contributus ipsorum, R. DAVID KIMCHI (b), quando is ad verba: *Nil erat in arca, nisi duae tabulæ lapideæ,* adnotat: *וְאַתָּה כִּי לֹא הוּא בָּרוּךְ לְחוֹזֵק :* Hic habetur probatio, quod, in arca, neque tabulæ fractæ fuerint, neque liber legis. Quum, autem, fragmenta tabularum, aliquorsum, collocanda sint, uti ex Kimchi testimonio constat, quibusdam, ex ipsis *Rabbinis*, videtur, arcum foederis eadem non comprehendisse, sed Mosen aliam arcum, pro tabulis fractis, adaptasse. Fundamentum suae sententiae *Deut. X. 1.* quaerunt, ubi DEVS Mosi injungit, ut arcum ligneam faceret, quare R. *Bachai*, a *Buxtorfio* (c), qui, hac in re, conferri meretur, citatus, locum hunc ita explicat: *Tradiderunt Rabbini nostri p. m. hanc arcum fuisse eam, quam Moses*

Q<sup>2</sup>

ipse

(b) ad *i. Reg. VIII.* (c) *Hist. arcae foederis, Cap. III. p. 33. 34. sqq.*

ipse fecit, non vero eam, quam fecit Bezaleel, in opere Tabernaculi. Suffragantur, & hac in parte, recentioribus Rabbinis ipsi Doctores T ALMVDICI (d), qui, adhuc clarius, hac de re, loquuntur. Verba huc spectantia, ita informata sunt : 'תני ר יהוּה בְּנֵי קֶרֶב אָמַר שְׁנִי אֲרוֹנוֹת חֹזֶה מִלְחָמָן עַם יִשְׂרָאֵל בְּמִרְכָּב אֶחָד שְׁחוֹתָה תְּהוּרָה נָתָן בְּחָכָם וְאֶחָד שְׁחוֹן שְׁבִרִי חָלוֹחוֹת נָתָן בְּתוּכוֹ : Traditio est : R. Iebuda, Ben Lakish, dixit ; duae arcae fuerunt, proficentes cum Israelitis, in deserto. Una, in qua deposita fuit lex, altera, in qua fuerunt fragmenta tabularum. Illam, in tabernaculo depositam, mansisse, hanc, vero, Israelitas praecessisse, volunt, quae, quam vana, & infirma, sint, atque, ab ipsis Rabbiniis, evertantur, Buxtorfius, in Historia arcae foederis, fuse, commonstravit. Optimum, hinc, erit, cum LVNDIO (e), statuere, fragmenta tabularum cistulae cuidam inclusa fuisse, ut, hac ratione, eo commodius, & portari, & asservari, potuerint, quae cistula, tamen, pro arca, quam Rabbini fingunt, non est habenda. Et haec de priori momento, cuius ab initio hujus §. mentionem fecimus, sufficient. Alterum, quod restat, quorsum, scilicet, haec fragmenta pervenerint? vel tribus verbis attingemus. Illud, itaque, cum Lundo, ante omnia, hic, supponimus, cistulam, cum fragmentis tabularum, non, saltem, in tabernaculo, verum, etiam, in templo Salomonaeo, fuisse, locumque, in superiori conclavi, habuisse. Iam, vero, sine dubio, quam diu ipsum templum Salomonaeum stetit, tam diu, etiam, in eodem, fragmenta tabularum manserunt, & non prius, quam, in vastatione templi Hierosolymitani, perierunt. Tantum B. C. D. de Tabulis Foederis prioribus, cui pro assistentia gratiosa sit

IMMORTALIS GLORIA.

CONSPE-

(d) Codice Schekalim, Cap. VI. (e) von den alten lüdischen Heilig-  
tbümmern, Lib. II. Cap VIII. num. 19.

CONSPECTVS  
DISSERTATIONIS.

SECTIO I.

DE

TABVLIS QVIBVSDAM VETERVM.

§. I. Etymologia vocis tabulae traditur. §. II. Tabulae, buc non pertinentes, removentur. §. III. Fundamentum omnium tabularum eruitur. §. IV. Ex publicis tabulis, tabellae, in comitiis Magistratum, §. V. in comitiis legum, §. VI. in judiciis, adhibitae, §. VII. leges tabellariae, §. VIII. tabulae publicae, specialiter, sic dictae, §. IX. tabulae legum, §. X. tabulae XII. legum, §. XI. tabulae foederum, §. XII. tabulae civitate donatorum, Caeritum, criminales, §. XIII. tabulae novae, §. XIV. Tabularium, §. XV. Tabularii, §. XVI. Ex privatis, quae, multum, cum publicis, convenient, tabulae accepti, & expensi, §. XVII. tabulae dati, & expensi, mensae, Annales domestici, §. XXIX. pactionales, syngraphae, chirographae, §. XIX. tabulae dotales, amorum, §. XX. testamentorum, nec non illae, quibus testimonium ferebatur, §. XXI. auctionariae, §. XXII. Ex tabulis privatis, quae vix, vel, plane, non, cum publicis, convenientebant, epistolares; in specie, tabulae laureatae, §. XXIII. votivae, §. XXIV. tabulae naufragii, §. XXV. tabulae, quibus aliquid praesagiebatur, & ex quibus, somnia exponebantur, §. XXVI. tabulae, in convivia, usitatae, quibus pueri instituebantur, item, tabula R. Gamalielis, phases lunae exhibens, §. XXVII. tablinum, §. XXVIII. tabulae pictae, & pinacotheca, tandem §. XXIX. appendix loco, tabula aurea Helenae, quae Sectionem Sotae continebat, expllicantur.

SECTIO II.

DE

TABVLIS FOEDERIS PRIORIBVS.

§. I. Etymologia vocum *לחות הכריה*, §. II. Synonymia

exhibetur. §. III. Causa efficiens tabularum foederis priorum, §. IV. modus elaborationis, §. V. & VI. Materia, ex qua, earundem exponitur, & causa, cur DEVS legem lapidibus inscriperit, adducitur. §. VII. Figura, & numerus, tabularum foederis priorum, §. VIII. Pondus illarum, §. IX. Causa efficiens scriptio[n]is, §. X. Modus scriptio[n]is, & ipsa Scriptura, tabulis insculpta, §. XI. Res, in tabulis, conscripta, & Rationes, quare DEVS legem X. tantum, praeceptis comprehenderit? §. XII. Ordinatio. §. XIII. Distributio praceptorum, §. XIV. Locus, in quo tabulae exhibitae fuerunt, & Annus exhibitionis, §. XV. Mensis, §. XVI. Dies, expenduntur. §. XVII. Quaestio: quare DEVS non, ante consensum populi, in praecpta caeremonalia, & judicialia, tabulas dederit? &, §. XVIII. alia, quid, scilicet, DEVS tabulis foederis intenderit? instituitur, atque, simul, de ipsa, tabularum priorum, fractione agitur. §. XIX. Locus, ubi Moses tabulas fregit, describitur, tempus, quo fractio constigit, eruitur, & jejunium Iudeorum, in hunc diem ordinatum, attingitur. §. XX. Per quodnam praeceptum fissura tabularum facta sit? §. XXI. an Moses, ex fragmentis tabularum foederis venditis, ditatus sit? quidque fractio illa denotaverit? &, denique, §. XXII. quem in locum fragmenta tabularum, postea, collocata fuerint? & quorsum, tandem, pervenerint? quaeritur, atque universum negotium, voto, concluditur.

---

#### ERRATA EXTANTIORA.

Pag. 8. in Inscriptione leg. DE TABVLIS QVIBVS D A M.  
p. 9. lin. 27. post, excitato, inferatur, atque. p. 18. lin. 20. pro, cum  
illos, lege: cum bos. p. 21. lin. 7. post, Aquillio, ins. eandem. p. 32.  
lin. 2. post, sunt, ins. necessitatem. p. 33. lin. 17. pro, ex defensione, le-  
ge: ex defensore. p. 44. lin. 4. leg. σηνυάρεσοι. p. 93. lin. 8. post,  
dicitur, ins. haec verba, pronunciare audeat. p. 117. l. 22. leg. בשבכרי. כנד.  
ibid. lin. 23. leg. יונן.

Reliqua B. L. haud gravatim corrigat.

DISSE

*DISSERTATIONIS*  
**AVCTORI-RESPONDENTI**  
CLARISSIMO

S. P. D.

*P R A E S E S.*

**V**iginti & tres effluxerunt anni, ex quo singularis ista mihi obtigit felicitas, ut TE, recens natum, ex sacro baptismatis fonte, susciperem, &, una cum Sponsoribus reliquis, quod pietas, & religio, suadebant, devoto animo, atque pectore, exequerer. Quemadmodum, autem, tum statim temporis, ut non, auspicato, tantum succresceres, sed & a divinioribus, aequae ac liberalioribus, disciplinis, probe, imbutus, in utriusque Reipublicae solatium, magis magisque, effloresceres, pia vota nuncupabam; ita tantos, in vegetioris aetatis decursu, in omni literarum genere, fecisti progressus, ut, posteaquam lauream Philosophicam, rite, & inter Eruditorum plausus, indeptus fueras,

ras, saluberrima, confestim, quae ex nebulis, quasi,  
& tenebris, in lucem, tempestive, TE protrahe-  
rent, consilia capessere potueris. Utut, enim,  
integris tribus, jam tum, abhinc annis, sub Ve-  
nerandi PARENTIS TVI moderamine, in Genui-  
nos τὰ ιωνία natales, occasione Oraculi, quod,  
*comma decimum quintum*, CAPITIS TRIGESIMI  
SECUNDI, in Deuteronomio, TIBI subministrabat,  
solide, inquisiveris ; atque, anno, insuper, prox-  
ime, insequenti, qui *Decimus septimus*, Seculi cur-  
rentis, erat, in SECUNDI EVANGELICI JUBI-  
LAEI memoriam, περὶ τὰς κοιτάς δικαίως, εἰς ἀδί-  
κους, κρίνοντος, *Judice*, nimirum, *juste*, *non injus-*  
*te*, *judicante*, ad vindicandum Oraculum, quod  
PETRVS, in *commate primo*, SECUNDI CAPITIS,  
*Prioris* suae *Epistolae*, proponit, contra Statores  
infallibilitatis Summi Pontificis, sub umbone  
WERNSDORFI, Doctoris Theologi, Celeber-  
rimi, ac, de Ecclesia, & Academia, nostra, dudum,  
optime meriti, *Cathedram inferiorem*, splendidis  
virtutum TVARVM radiis, sapienti instituto, col-  
lustrasti ; nova, tamen, ista, ad quae, cum DEO,  
rite, expedienda, jam nunc, TE accingis, moli-  
mina,

mina, partam, variis decoribus, nominis TUI  
famam, mirifice, ut certo auguror, amplifica-  
bunt. Labore, enim, in quem, ad TABVLAS  
FOEDERIS PRIORES ventilandas, hodierno  
die, me Parastata, ingressurus es, ex animi  
sententia, exantlato, integro vix hausto spi-  
ritu, in *Cathedram superiorem*, indultu Ordini-  
nis nostri, Ipsemet TE recipies, & omne  
istud, quod POSTERIORIBVS FOEDE-  
RIS TABVLIS, insuper, confecrasti, ne-  
gotium, ita informabis, ut, vice haud sim-  
plici, in Eruditorum conflitu, promte, &  
erudite, super iisdem, quoque, dispicias, &,  
quid nobile hoc, antiquitatis Ebraicae, argu-  
mentum in recessu habeat, uberiori commen-  
tario, adaperias. Neque, vero, hos intra li-  
mites, industria, ac ardor animi, ferventior  
se continebit, sed ad summa, potius, & ultra  
quae, in stadiis eruditis, humanae imbecilliti-  
ati progredi, haud permissum est, Numine  
favente, indulgentissimo, enitetur. Hujus, e-  
nim, ope, & auxilio, TV, VIR CLARISSIME,  
suffultus, proximis, abhinc, diebus, viciniores,

R

aeque

aeque ac exteris, *Academias*, eum, potissimum,  
in finem, frequentare *Tecum* constituiſti, ut,  
una cum *VIRIS*, in summa nominum celebri-  
tate constitutis, selectiores, inprimis, *Biblio-  
thecas* inviſes, & ad ea, quae curiosiora, &  
non, ubivis, obvia, ſunt, utroque oculo, folli-  
cite, attendas. *DEVS*, qui *PARENTI* *Tvo*,  
*venerando*, tot cum difficultatibus, atque mo-  
leſtiis, in hunc usque diem, circumvento, *āto  
μηχανῆς*, quaſi, clementiſſime, ſemper, praef-  
ſto fuit, & in his, ſigillatim, terris noſtris, ad-  
venam iſtum, atque peregrinum, per tot an-  
norum ſeries, ſoſpitem, ſemper, ac incolu-  
mem, conſervavit, ille *TE*, quoque, ab omni-  
bus, opum, atque fortunarum, praefidiis de-  
ſtitutum, non, in itinere, ſolummodo, quod  
in gloriae *ISTIVS* amplificationem, majorem-  
que animi culturam, unice, fuſcepturus es,  
vario benedictionum genere, rerumque, ad  
commodam vitae protractionem, neceſſaria-  
rum, affluentia, benigne inſtruſet, ſed &, eo-  
dem iſto, maximis cum emolumentis *Tuis*,  
deſtum, ſuperato, ad eum dignitatis, atque  
feli-

felicitatis, gradum T E evehet, quo tortem,  
quae durior TIBI, quoque, quodammodo,  
obtigerat, mitigare, & collectos, magna cum  
animi contentione, ingenii thesauros, cumu-  
latissime, dispensare valeas. Et hac, quidem,  
spe blandiori fretus, nihil, omnino, TIBI,  
atque commodis Tuis, tribuere constituebas,  
sed omnes, potius, vitae rationes, circumspe-  
cte, ita, subducebas, ut ex ipso, quod RE-  
GIA M V N I F I C E N T I A, ad eas sublevandas,  
clementissime, TIBI suppeditabat, beneficio,  
non aliam ob caussam, typographis neces-  
saria, insimul, erogares, quam, ut conceptos  
ingenii foetus, suo ministerio, isti exclude-  
rent, &, fausto, eosdem, omne, orbi, qua-  
late patet, eruditio subministrarent. Maest  
hac virtute TVA, VIR CL., &, in posterum,  
etiam, nihil in TE desiderari patere, quo con-  
stantiam paternam, in tot dubiis, & adversis, ca-  
sibus, obsequiosa, ac devota, mente, DOMI-  
NO suo comprobata, IPSEmet, quoque,  
jugiter, imiteris, atque, super variis, imo in-  
numeris, quae vitam hanc caducam conco-  
mitari

mitari solent, calamitatibus, animo, ad trans-  
quillitatem composito, felicissime, triumphes.  
Illud, enim, sponte, Ipse met animadvertes,  
quod, a *Supremo Sacrorum Diribitore*, FOE-  
DERIS utriusque TABVLAE & TIBI, eum in  
finem, unice, sint concreditae, ut a *Scripturis*  
Earundem, solide, imbutus, populo non mori-  
rigero solum, sed cervice, etiam, duriori praedi-  
to, imo, rebelli, subinde, atque perfido, ho-  
ra, qua in vineam suam ISTE Te ablegabit, a-  
nimo, semper, infraucto, atqne imperterritio, eas  
proponas. In illud, itaque, sollicite, & maxi-  
ma cum cura, quoad in mundanis his desertis,  
& asperis quasi montium jugis, MOsis ad ex-  
emplar, constitutus eris, incumbes, ne pretio-  
sissimum hoc *Depositum*, per TE quicquam de-  
trimenti, unquam capiat, sed, amplissimo,  
potius, cum foenore, totque animarum, quae  
TVAE, sigillatim, custodiae, ac fideli institu-  
tioni, in posterum, committentur, intemera-  
tum, fartum, atque integrum, ad seram usque  
posteritatem transmittatur. Vale. Dabam  
e Museo meo, XVI Kal. Oct. A. O. R.

M DCC XIX.

HB 153000 (1)

ULB Halle  
003 948 544




3

56.

KD.17





34.

I. F. M.

---

DE  
לְחַזְקָתְּ הַ  
רְאַשְׁנוֹן

SEV  
S FOEDERIS  
ORIBVS  
COMMENTATIONE  
DE  
QVIBVSDAM  
TERVM  
RAESIDE  
STO PHORO  
ANN SHAVSEN  
ELIQ VARVM QYE ORIENTALIVM  
AC VLTATIS SVAE SENIORE  
I. ACAD. DIRECTORE  
SACRO FONTE PIO CVLTV  
R PROSECVENDO  
LICE DISSERET  
AVCTOR  
RICVS MICHAELIS  
EMBERG. SAXO

---

OCTOBRIS A. & 1799.  
ITORIO MAIORI.

, Ex OFFICINA GERDESIANA.